De captivis Romanorum

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

philosophorum ordine Gissensi

rite impetrandos

scripsit

EUGENIUS KOESER
Gissensis

Gissae MDCCCCIIII
Typis officinae aulicae et academicae de Muenchow

De captivis Romanorum

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

philosophorum ordine Gissensi

rite impetrandos

scripsit

EUGENIUS KOESER
Gissensis.

Gissae MDCCCCIIII
Typis officinae aulicae et academicae de Muenchow

Ad philosophorum ordinem de hac dissertatione rettulit

Gottholdus Gundermann.

Examen superatum est a. d. XI. Kal. Aug. MDCCCCII.

Parentibus

S.

Πᾶς γὰρ πόλεμος ἐκβεβηκὼς τὰ νόμιμα καὶ δίκαια τῶν ἀνθρώπων, ὅμως ἔχει τινὰς ἰδίους καθαπερεὶ νόμους, οἷον ἀνοχὰς μὴ λύειν, κήρυκα μὴ ἀναιρεῖν, τὸν τὸ σῶμα αὐτοῦ πρὸς τὴν τοῦ κατισχύοντος πίστιν τιμωρεῖσθαι. Diod. frg. 30, 18, 2.

. . . χαλεπὸν μέν ἐστι πόλεμος καὶ διὰ πολλῆς ἀδικίας καὶ βιαίων περαινόμενος ἔργων, εἰσὶ δὲ καὶ πολέμων ὅμως τινὲς νόμοι τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσι, καὶ τὸ νικᾶν οὐχ οὕτω διωκτέον, ὥστε μὴ φεύγειν τὰς ἐκ κακῶν καὶ ἀσεβῶν ἔργων χάριτας. Plut. Cam. 10.

Iura quaedam belli apud omnes populos, quorum res gestas accuratius perscrutati sunt homines docti, omnibus temporibus inveniuntur, sed valde singula inter se discrepant. Tamen hoc unum pro certo habere debemus fere his duabus ex causis orta esse belli iura: ex humanitate et ex commodi ratione. Neque verbis opus est, ut demonstretur alia nos uti humanitate ac maiores nostros. Nam per multa saecula magis magisque in populorum Europae animis notio humanitatis est insita atque quasi consignata. Sed hoc non neglegendum est humaniorem rationem belli gerendi inisse primum principes civitatum vel omnino homines, ut ita dicam, nobiliores, cum semper vulgus persuasum haberet bello incepto esse licitam saevitiam crudelitatemque omnis generis. At non solum humanitatis, sed etiam commodi ususque causa saepius temperatur victis. Atque Romanos in bello utilitati paruisse, semper ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes accommodasse testatur Cicero[1]. Quae cum ita sint, haud raro id

[1]) de imp. Cn. Pomp. 60.

intermittitur, quod iure belli defenditur, sed ratione belli salubre non videtur. Quod ut demonstrem, exemplum fingere liceat. Crudelissimus quisque dux oppido vi expugnato victis parcere veniamque dare potest, quia hoc modo et alias urbes se ad deditionem perlicere posse putat, — quod re vera saepius fiebat — cum iure belli crudelissime in eos animadvertere possit. Quo exemplo instruimur, quo modo inter se differant ius belli et ratio belli. Atque hanc iam apud Romanos, qui, ut Livius dicit [1]), belli sicut pacis iura non minus iuste quam fortiter didicerant gerere, aeque ac nostra aetate praevaluisse ii, qui acriter integreque iudicant de historia Romana, non negabunt. Ius belli apud Romanos litteris mandatum non erat. Sed notio iuris belli animis erat impressa [2]).

Sed fieri potuisse haud ignoro, ut duces multis et variis causis coacti rationem quoque belli omitterent, cuius rei clarissimum nobis praebet exemplum Tacitus [3]):

Civilis et Classicus rebus secundis sublati, an coloniam Agrippinensem diripiendam exercitibus suis permitterent, dubitavere; saevitia ingenii et cupidine praedae ad excidium

---

[1]) 5, 27, 6.

[2]) Vox iuris belli saepissime usitata est apud scriptores antiquitatis: Liv. 2, 12, 14; 5, 27, 6; 21, 13, 8; 24, 33, 3; 25, 40, 2; 26, 21, 12; 26, 31, 9; 31, 30, 2; 32, 34, 13; 33, 13, 8; 33, 40, 4; 34, 58, 10; 38, 34, 7; 38, 38, 16; 39, 29, 2; 39, 4, 13; 39, 36, 12; 42, 21, 3; 42, 24, 10; Flor. 2, 8, 6; 3, 5, 14; 3, 19, 6; 3, 21, 28; 3, 23, 3; 4, 12, 52; bell. Afric. 45; Caes. b. G 1, 36, 1; 1, 44, 2; 7, 41, 1; Cic. rep. 2, 31; 5, 3; leg. 2, 34; off. 1, 34; 3, 107; Iordan. Get. 56, 286; Iustin. epit. 31, 1, 3; Sall. Iug. 91, 7; 102, 13; Serv. ad Verg. Aeneid. 9, 53; Sueton. Aug. 48; Tacit. ann. 12, 17; fas armorum: Tacit. hist. 4, 58; us armorum: Veget. 1, 1; ius victoris: Flor. 3, 7, 6; lex belli: Cic. pro Deiotar. 25; in Verrem 1, 57; mos belli, ius victoriae: Cic. in Verrem 4, 116; πολέμου νόμος: Appian Num. 3; Diod. frg. 38, 39, 8; Dion. Hal. 3, 8; 6, 36; Ioseph. ant. Iud. 14, 12, 2; bell. Iud. 3, 8, 5; 6, 4, 3; 6, 6, 3; Polyb. 2, 58, 10; frg. 7, 14. 3; χειρός-χειρῶν νόμος: Dion. Hal. 6, 26; 8, 20; Polyb. 1, 82, 2; 2, 28, 10.

[3]) hist. 4, 63.

civitatis trahebantur: obstabat ratio belli et novum imperium inchoantibus utilis clementiae fama; Civilem etiam beneficii memoria flexit, quod filium eius primo rerum motu in colonia Agrippinensi deprehensum honorata custodia habuerant. Sed Transrhenanis gentibus invisa civitas opulentia auctuque; neque alium finem belli rebantur, quam si promisca ea sedes omnibus Germanis foret aut disiecta Ubios quoque dispersisset.

Ius belli cum his temporibus saepius omnium animos occupet permultaeque res, quae ad id spectant, cotidie historiarum et litterarum peritis haud secus ac iuris consultis occurrant, satis mirum est, quod ius belli Romanorum ex eo tempore, quo Eduardus Osenbrueggen edidit librum singularem de iure belli et pacis Romanorum inscriptum, manifeste neglegebatur. Philologi tacebant, cum viri iuris periti libris, quibus agebatur de iure gentium, quam brevissime Romanorum ius belli absolvere consuessent. Fr. Bender queritur [1] (p. 1): „man hat von philologischer Seite für diesen Teil der Altertumskunde eigentlich soviel wie nichts getan". Eandem rem tangit R. de Scala [2], cum verba facit de iure gentium Graecorum (p. 299 adn. 3): „Die Litteratur über das griechische Völkerrecht hat in neuerer Zeit nichts bedeutendes aufzuweisen, es wird immer mit denselben Stellen gearbeitet, obwohl doch neue, hierher gehörige Schriftsteller und Inschriften unschätzbares Material bieten würden". Itaque eam partem iuris et rationis belli Romanorum, quantum pertinet ad bello captos, ego institui pervestigare: cuius quaestionis viam vix paratam inveni. Nam Osenbrueggen duobus capitibus satis exiguis agit de hostibus captis [3]. Neque plura profert Müller-

[1]) Beiträge zur Kenntnis des antiken Völkerrechts nach Polybius. 1901.

[2]) Die Studien des Polybius. 1890.

[3]) Cap. II: de iure in hostes ipsos p. 43—56; cap. IV: de hostium deditione p. 65—68.

Jochmus[1]); D. Buret[2]) et H. Geoffroy[3]) de iure belli Romanorum disserunt quam plurima veterum testimonia colligere minime conati. Bender[4]) Polybii fere testimonia adhibet. Dispersa quaedam ad captivos Romanorum spectantia inveni in his libris:

Bechmann, A., Das ius postliminii und die lex Cornelia. 1872

Bender, Fr., Beiträge zur Kenntnis des antiken Völkerrechts (nach Polybius). Bonn. Diss. 1901

Benedix, A., De praeda inde ab antiquitate ad usque nostram aetatem bello terrestri legitime parta p. 15—22. 1874

Bluntschli, J. C., Das Beuterecht im Krieg und das Seebeuterecht insbesondere. 1878

Drescher, Fr., Beiträge zur Liviusepitome. Erlang. Diss. 1900

Friedländer, L., Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms von August bis zum Ausgang der Antonine II[7] p. 46—95. 1901

Grotius, H., De iure belli ac pacis libri tres ed. Pufendorf. 1729

Halkin, L., Les esclaves publics chez les Romains (Bibl. de la faculté de philosophie et lettres de l'université de Liége fasc. I). 1897

Hase, Fr., Das ius postliminii und die Fictio legis Corneliae. 1851

Holtzendorff, Fr., Die geschichtliche Entwickelung der internationalen Rechts- und Staatsbeziehungen bis zum Westphälischen Frieden. (Handb. d. Völkerrechts [Holtzendorff]) I p. 242—285. 1885

---

[1]) Geschichte des Völkerrechts im Altertum. 1848.

[2]) Le droit de la guerre chez les Romains. 1888.

[3]) Du droit de la guerre à Rome. 1888.

[4]) cf. p. 7 adn. 1.

Jaeger, O., M. Atilius Regulus. Ein Beitrag zur Geschichte des Völkerrechts. 1878
Ihering, R., Geist des römischen Rechts. I[3] p. 107—118. 1873
Karlowa, O., Römische Rechtsgeschichte. I. p. 279—295. 1885
— Römische Rechtsgeschichte. II p. 114—128. 1901
Krauss, F. A. K., Im Kerker vor und nach Christus. p. 55—77. 1895
Leist, B. G., Graecoitalische Rechtsgeschichte. p. 429—457. 1884
Liers, H., Das Kriegswesen der Alten. p. 228 sq. 1895
Linsmayer, A., Der Triumphzug des Germanicus. 1875
Lueder, C., Das Landkriegsrecht im Besonderen. H. d. V. H. IV p. 423-429. 1889
Marquardt, J., Römische Staatsverwaltung III[2] p. 416—426. 1885
Martens, F., Völkerrecht, Das internationale Recht der civilisierten Nationen. Deutsche Ausgabe von C. Bergbohm. I. p. 51—63. 1883
Meyer, P., Der Triumphzug des Germanicus. p. 85—92 1891
Müller-Jochmus, M., Geschichte des Völkerrechts im Altertum. p. 131—189. 1848
Osenbrueggen, E., De iure belli et pacis Romanorum liber singularis. 1836
Pütter, C. Th., Beiträge zur Völkerrechtsgeschichte und Wissenschaft. p. 40—44. 1843
Scala, R., Die Studien des Polybius. I. p. 299—324. 1890
Schmidt, A., Zum internationalen Rechtsverkehr der Römer (Zeitschr. der Savigny-Stiftung für Rechtsgesch. IX, 2, 1, Rom. p. 122-130). 1888
Ullmann, E., Völkerrecht (Hdb. des öffentl. Rechts) I, II[2]. 1898
Voigt, M., De fetialibus populi Romani. 1852

Voigt, M., Das ius naturale, aequum et bonum und ius gentium der Römer. II. p. 8—28. 1858

Wagner, A., De fecialibus et iure feciali populi Romani. 1734

Ward, R., An enquiry into the foundation and history of the law of nations in Europe, frome the time of the Greeks and Romans to the age of Grotius. I, 171—200. 1795

Willems, P., Le sénat de la république Romaine. II, p. 465 sq. 1883

Wollner, D., Die auf das Kriegswesen bezüglichen Stellen bei Plautus und Terentius. I. 1892

Quae cum ita essent, conatus sum, ut certiora proferrem, quam plurima testimonia veterum colligere. Itaque adhibui hos auctores: Ammianum Marcellinum, Appianum, auctorem de viris illustribus, Iulium Caesarem cum A. Hirtii aliorumque supplementis, Cassium Dionem, Ciceronem, Diodorum Siculum, Dionysium Halicarnassensem, Eusebium (chronicorum libros), Eutropium, Pompeium Festum, Florum, Frontinum, Frontonem, Gellium, Iordanem, Flavium Iosephum,Iustinum, Iuvenalem, Livium, Ioannem Malalam, Cornelium Nepotem, Iulium Obsequentem, Orosium, Ovidium, Plinium Secundum maiorem, Plinium Secundum minorem, Plautum, Plutarchum, Polybium, Propertium, Sallustium, scriptores historiae Augustae, Corpus iuris civilis, Senecam philosophum, Servium, Sulpicium Severum (historiam sacram), Silium Italicum, Strabonem, Suetonium, Tacitum, Terentium, Valerium Maximum, Varronem, Vegetium, Velleium Paterculum, Vergilium, Zonaram, Zosimum. Nondum adhibui magnam copiam apud scriptores ecclesiasticos conditam neque testimonia coegi aere lapidibusque tradita, quorum inscriptiones et imagines sane gravissimi sunt momenti. Sed haec ipsa auxilia, quae nunc quidem invitus reliqui angustiis

temporis pressus, spero ego me illis propediem submissurum esse.

Demonstrabo igitur proficiscens ab antiquissimis temporibus imperii Romani usque ad quintum p. Chr. n. saeculum, qua condicione fuerint et ii, qui bello in Romanorum manus ceciderunt, et Romani ipsi, qui fortuna belli venerunt in captivitatem exterarum gentium nationumque.

Primum mihi videtur esse dicendum, quibus modis hostis bello in captivitatem venerit, deinde quae qualisque fuerit sors bello capti in captivitate ipsa, tum quibus condicionibus libertas potuerit restitui et quo iure captivus e manibus hostium missus reversusque in patriam usus sit. Atque in una quaque parte huius quaestionis, quantum possum, sequar temporum ordinem.

I.

Bellum antiquis videbatur sacrum esse atque a dis ipsis institutum. Itaque ius belli erat pars quaedam iuris sacri. Dei sunt rectores omnium bellorum, dei praebent victoriam cladesque ab his homines religionis neglegentes accipiunt. Quae cum ita sint, necesse est, cum primum in bellum itur, deorum voluntas concilietur. Auspicia, prodigia religiosissime observantur. Arma cum capiunt homines antiqui, dis immolatur, sacerdotes precibus adeunt deos, templa, pecunias multaque alia devovet imperator Marte saeviente, bello confecto supplicationes celebrantur. Quam ob rem Romanos semper auxilio deorum manifeste esse adiutos Dionysius Hal. prodit memoriae[1]: ἁπάντων γὰρ αὐτῶν (πολέμων) τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ὑποθέσεις εὐσεβεστάτας φανήσονται ποιησάμενοι καὶ διὰ τοῦτο μάλιστα τοὺς θεοὺς ἐσχηκότες ἐν τοῖς κινδύνοις εὐμενεῖς.

Hac ratione hostis bello devictus quod omnis iuris expers fiebat, mirum non est. Is nonne indignus erat, cui parceretur, quem dei ipsi ita odissent, ut in hostium potestatem iacerent? Quod cum numquam neglexerimus, haud raro crudelitates quasdam in devictos commissas facilius intellegemus. Hostis captus sane dignus erat poena: haec erat deorum voluntas. Contra apud nos bello capti non puniuntur, sed custodiuntur, quo hostibus noceatur visque armorum diminuatur[2]. Sed dei propitii non sunt,

---

[1]) 2, 72.
[2]) cf. Lueder p. 433.

si bellum temere incipitur aut sine iusta causa subito cui infertur aut, ut brevius dicam, iustum non est. Quae vox belli iusti saepissime ab antiquis auctoribus adhibetur[1]. Contrarium bello iusto est iniustum[2].

Iustum bellum, quidnam sit, nunc quaeramus ex testimoniis veterum. Isidorus orig. 18, 1, 2 haec exponit: *Quattuor autem sunt genera bellorum, id est iustum, iniustum, civile et plus quam civile. Iustum bellum est, quod ex praedicto ingeritur de rebus repetitis aut propulsandorum hostium causa. Iniustum bellum est, quod de furore, non de legitima ratione initur, de quo in re publica Cicero dixit*[3]. *Illa iniusta bella sunt, quae sunt sine causa suscepta; nam extra ulciscendi aut propulsandorum hostium causam bellum geri iustum nullum potest. Et hoc idem Tullius parvis interiectis subdidit: Nullum bellum iustum habetur nisi denuntiatum, nisi indictum, nisi repetitis rebus.* Cicero de republ. 2, 31: *(Tullus Hostilius).. constituitque ius, quo bella indicerentur, quod per se iustissime inventum sanxit fetiali religione, ut omne bellum, quod denuntiatum indictumque non esset, id iniustum esse atque inpium iudicaretur.* Cicero de off. 1, 36: *Belli quidem aequitas sanctissime fetiali populi Romani iure perscripta est. Ex quo intellegi potest nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur aut denuntiatum ante sit et indictum.* His testimoniis cognovimus haec: Iustum ut esset bellum, necesse erat indiceretur, clarigatio fieret, hostium irruptio

---

1) Cic. leg. 3, 9; off. 1, 36; Isidor. orig. 18, 1, 2; Oros. 5, 22, 7; πόλεμος δίκαιος: Diod. frg. 8, 22, 3; frg. 28, 3; 32, 5; πόλεμος ἀναγκαῖός τε καὶ δίκαιος: Dion. Hal. 3, 3; 3, 5; ὅσιος καὶ δίκαιος: Dion. Hal. 7, 2; ὅσιος: Dion. Hal. 10, 23.

2) Cic. de rep. 2, 31; in Caecil. divinat. 61; Valer. Max. 2, 7, 15; Oros. 5, 5, 13; Isidor. orig. 18, 1, 2; ἄσπονδος καὶ ἀκήρυκτος: Appian. Samn. 4, 2; ἀδίκως πολεμεῖν: Diod. frg. 30, 2; ἄδικος: Dion. Hal. 2, 72; χειρῶν ἀδίκων: Polyb. frg. 15, 8, 2.

3) 3, 35

propulsaretur. Quo modo videtur bellum apud Romanos quasi ultima ratio esse. *Nam cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim, cumque illud proprium sit hominis, hoc beluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore*[1]. Atque *nullum bellum suscipi* debere *a civitate optima nisi aut pro fide aut pro salute* Cicero sibi persuaserat[2]. *Bellum autem ita suscipiatur, ut nihil aliud nisi pax quaesita videatur*[3]. Quin etiam Cicero satis mire Attico amico scribit: *Equidem pacem hortari non desino, quae vel iniusta utilior est quam iustissimum bellum*[4]. Inprimis Diodorus Siculus multa gloriatur de iustis Romanorum bellis: διὰ τὸ τοὺς παλαιοὺς μηδὲν οὕτω σπουδάζειν ὡς τὸ δικαίους ἐνίστασθαι πολέμους[5]. Οἱ δὲ Ῥωμαῖοι καὶ τότε καὶ μετὰ ταῦτα δικαίους ἐνιστάμενοι πολέμους[6]. Ὅτι σφόδρα οἱ Ῥωμαῖοι φιλοτιμοῦνται δικαίους ἐνίστασθαι τοὺς πολέμους καὶ μηδὲν εἰκῇ καὶ προπετῶς περὶ τῶν τοιούτων ψηφίζεσθαι[7]. Cicero laudat Romanorum ius belli his verbis: (in iure belli) *et suscipiendo et gerendo et deponendo ius ut plurimum valeret et fides eorumque ut publici interpretes essent, lege sanximus*[8].

Quae si vera essent, fieri non potuit, ut Romani ultro nulla iniuria lacessiti vel cupidine gloriae cuiquam bellum inferrent. At versatissimus quisque in historia Romana haud infitias ibit multa bella eos gessisse re vera iniusta. Caerimonias tantum atque ritus Romani per saecula religiose observabant, nulla re intermissa, quin causam belli invenirent, semper id agebant, ut ipsi esse innocentes viderentur,

---

1) Cic. off. 1, 34.
2) Augustin. de civit. dei 22, 6.
3) Cic. off. 1, 80.
4) Cic. ep. ad Attic. 7, 14, 3.
5) frg. 8, 22, 3.
6) frg. 28, 3.
7) frg. 32, 5.
8) Cic. leg. 2, 34.

hostes vero noxii. Haud immerito Lactantius dicit[1]: *Quantum autem a iustitia recedat utilitas, populus ipse Romanus docet, qui per fetiales bella indicendo et legitime iniurias faciendo semperque aliena cupiendo atque rapiendo possessionem sibi totius orbis comparavit.* Quoniam ius belli artissime cohaeret cum iure sacro per fetiales indictum est bellum[2]. Formulam belli indicendi memoriae esse proditam constat et a Livio[3] et a Gellio[4].

Sed ne quis opinetur omnibus temporibus Romanos religiose bellum indixisse: iam C. Iulius Caesar in bellis cum Gallis, Germanis, Britannis gestis ius fetiale neglexit desieruntque Romani putare bellum esse sacrum.

Quoniam iustum bellum quid sit, statuere conati sumus, nunc quaerendum est, quinam sit iure belli intellegendus h o s t i s. Pomponius dicit[5]: *Hostes hi sunt, qui nobis aut quibus nos publice bellum decrevimus: ceteri l a t r o n e s aut p r a e d o n e s sunt.* Ulpianus[6]: *Hostes sunt, quibus bellum publice populus Romanus decrevit vel ipse populo Romano; ceteri l a t r u n c u l i vel p r a e d o n e s appellantur.* In hostium numero habebantur etiam socii vel subditi eius populi, cum quo bellum iustum gerebatur omnesque, qui intra fines hostium degebant[7]. Negatur *ius esse, qui miles non sit, cum hoste pugnare*[8].

Sed ne quis in errorem incidat: vox h o s t i s aliis temporibus aliam vim habuisse constat. Varro[9]: *multa*

---

[1]) Inst. div. 6, 9.

[2]) De hoc collegio satis multis verbis Dionysius Halicarnassensis (2, 72) deque iure quod dicitur fetiali nonnulli recentiorum egerunt (cf. p.8—10).

[3]) 1, 32, 12/13.

[4]) N. A. 16, 4, 1.

[5]) Dig. 50, 16; L. 118.

[6]) Dig. 49, 15; L. 24.

[7]) Liv. 30, 14; 31, 6; 36, 1; cf. Osenbrueggen p. 44.

[8]) Cic. off. 1, 37.

[9]) de l. l. 5, 3.

verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant, ut hostis; nam tum eo verbo dicebant peregrinum, qui suis legibus uteretur, nunc dicunt eum, quem tum dicebant perduellem. Cicero[1]: *Equidem etiam illud animadverto, quod, qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi rei tristitiam mitigatam. Hostis enim apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant XII tabulae: Aut status dies cum hoste: itemque: Adversus hostem aeterna auctoritas. Quid ad hanc mansuetudinem addi potest, eum, quocum bellum geras, tam molli nomine appellare? Quamquam id nomen durius effecit iam vetustas; a peregrino enim recessit et proprie in eo, qui arma contra ferret, remansit.* Sicut Cicero verba facit de bello iusto, ita etiam hostem *iustum* et *legitimum* appellat[2]. Sed *pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium: cum hoc nec fides debet nec iusiurandum esse commune*[3]. Quod discrimen inter *hostes* et *praedones* Romani semper observabant. Ligures[4] appellantur: *latrones verius quam hostes iusti.* Tiberius, ut alterum afferam exemplum, aegre dicitur tulisse, quod Tacfarinas *desertor* et *praedo, hostium more* ageret[5].

Iusto hosti foedus, sponsio, fides data religiose erant observanda Captivis si iureiurando constricti sunt, fides servanda est, sin violatur, nefas est. *Est enim iusiurandum adfirmatio religiosa: quod autem adfirmate quasi deo teste promiseris, id tenendum est*[6]. *Nullum enim vinculum ad astringendam fidem iureiurando maiores artius esse voluerunt; id indicant leges in duodecim tabulis, indicant*

---

1) off. 1, 37.
2) Cic. off. 3, 108.
3) Cic. off. 3, 107; cf. in Verrem 4, 21.
4) Liv. 40, 27, 10.
5) Tacit. ann. 3, 73.
6) Cic. off. 3, 104.

sacratae, indicant foedera, quibus etiam cum hoste devincitur fides[1]. *Atque etiam si quid singuli temporibus adducti hosti promiserunt, est in eo ipso fides conservanda*[2]. Sed cum pirata *nec fides debet nec iusiurandum esse commune*[3]. Quaecumque memoriae prodidit Cicero haud paucis testimoniis ceterorum auctorum videmus affirmata. Pyrrhus rex Fabricio captivos commisit, ut, si senatus pacem non decrevisset, salutatis amicis et Saturnalibus celebratis ad se remitterentur. A senatu vero sunt remissi mortisque supplicium iis, qui non rediissent, constitutum est[4]. Deinde praeclarum est illud Atili Reguli, qui, cum retineretur, ad supplicium redire maluit quam fidem hosti datam fallere[5]. Ille *vero non debuit condiciones pactionesque bellicas et hostiles perturbare periurio. Cum iusto enim et legitimo hoste res gerebatur, adversus quem et totum ius fetiale et multa sunt iura communia*[6]. *Neque vero tum ignorabat* (Regulus) *se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci, sed iusiurandum conservandum putabat. Itaque tum, cum vigilando necabatur, erat in meliore causa, quam si domi senex captivus, periurus consularis remansisset*[7]. Denique ut res clarius illustretur, pauca addam de legatis ab Hannibale post victoriam ad Cannas reportatam captivos redimendi causa Romam missis. Hannibal priusquam proficiscerentur, hoc iusiurandum eos adegit redituros se in castra Punica esse, si Romani captivos non permutarent. Ex his reverterunt plerique, unus vel nonnulli iureiurando mala fide violato Romae remanserunt. De numero periurorum auctores inter se

---

[1]) Cic. off. 3, 111; 3, 107.

[2]) Cic. off. 1, 39.

[3]) Cic. off. 3, 107.

[4]) Plut. Pyrrh. 20, 9; Appian. Samn. 10, 3.

[5]) Cic. off. 1. 39; Sil. It. 6, 471; Cass. Dio. frg. 11, 43, 26; Zon. 8, 14, 15; Liv. per. 18; de vir. ill. 40, 4.

[6]) Cic. off. 3, 108.

[7]) Cic. off. 3, 100/101.

discrepant, sed in hoc uno praeter Appianum, qui tacet de eorum castigatione, conspirant Romanos graviter in periuros [1]) animadvertisse.

Capi potuisse non solum hostes ipsos, qui in armis erant, sed etiam inermes vel servos, feminas, liberos consentaneum est. Sed legatos, si rite mittebantur ad hostem, cum quo bellum gerebatur, capere et violare nefas erat [2]). *Si quis legatum hostium pulsasset, contra ius gentium id commissum esse existimatur: quia sancti habentur legati, et ideo, si cum legati apud nos essent gentis cuius, bellum cum eis indicatum sit, responsum est, liberos eos manere; id enim iuri gentium conveniens esse; itaqne eum, qui legatum pulsasset, Quintus Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere* [3]). At tamen ii legati, quos complures civitates hostiles inter se mittebant, iure gentium non defensi, sed haud secus ac ceteri hostes in captivitatem redacti sunt: velut legati Macedonum atque Poenorum a. 215 a. Chr. a Romanis capti [4]).

Quaeramus nunc, quibus veniam dederint Romani. *Ea bella*, inquit Cicero [5]), *quibus imperii proposita gloria est, minus acerbe gerenda sunt. Ut enim cum civi aliter contendimus, si est inimicus, aliter, si competitor — cum altero certamen honoris et dignitatis est, cum altero capitis et famae — sic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum ut cum inimicis gerebatur, uter esset, non uter imperaret, cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Poenis, Pyrrho de imperio dimicabatur. Parta autem victoria*, docet idem [6]), *conservandi ii, qui non*

---

[1]) Polyb. frg. 6, 58, 2; 6, 58, 11; Cic. off. 1, 40; 3, 113—115; Liv. 22, 58, 8; 24. 18, 5/6; Zon. 9, 2, 4; Appian. Hann. 28; Gell. N. A. 6, 18, 1—11.

[2]) Diod. frg. 30, 18, 2.

[3]) Dig. 50, 7; L. 18.

[4]) Liv. 23, 38, 7; Appian. Mac. 1; Zon. 9, 4, 3; cf. etiam Polyb. frg. 22, 9, 8; Appian. b. c. 5, 136; Caes. b. Gall. 5, 45, 1.

[5]) off. 1, 38.

[6]) off. 1, 35.

crudeles in bello, non immanes fuerunt, ut maiores nostri Tusculanos, Aequos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam acceperunt, at Karthaginem et Numantiam funditus sustulerunt. Dubium non est, quin rem praeter verum augeamus, cum his Ciceronis verbis fidem nimiam habeamus. Neque aliter res se habet, cum legerimus hoc Livii testimonium: *maximo semper animo victis regibus populisque ignovistis* [1]. Sed saepissime illud *praecipuum clementiae documentum* desideramus [2]. Diodorus hanc fert sententiam: Ὅτι τὰς ἡγεμονίας οὐχ οὕτω τῷ διὰ τῶν ὅπλων φόβῳ λαμβάνειν αὔξησιν, ὡς τῇ πρὸς τοὺς κρατηθέντας μετριότητι [3].

Polybius [4]: Πολεμοῦντας γὰρ δεῖ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας βαρεῖς εἶναι καὶ θυμικούς, ἡττωμένους δὲ γενναίους καὶ μεγαλόφρονας, νικῶντάς γε μὴν μετρίους καὶ πραεῖς καὶ φιλανθρώπους. Tacitus: *verum ita maioribus placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum* [5].

Sed hae sententiae ut sunt honestae, ita alienae a rebus ipsis. Primum nolite oblivisci proeliis ab hominibus antiquis commissis cadere multos non potuisse, quoniam, cum ea tela, quae delerent eminus copias hostium, deessent, manus conserentibus unusquisque, ut ita dicam, ad mortem deducendus erat. Sed accedit, quod hostis captus apud antiquos in pretio erat: nam venumdari poterat. Atque hanc causam saepius rationi humanitatis videntur praetulisse Romani.

Semper mos fuisse videtur omnibus, qui i n e r m e s erant, veniam dare [6]. Antequam urbs capta est, plerumque consul vel dictator praecones edicere iussit, ut ab

---

[1] 37, 45, 8; cf. 30, 42, 17.
[2] Liv. 33, 12, 7.
[3] frg. 29, 31.
[4] frg. 18, 20, 7.
[5] ann. 12, 20.
[6] Liv. 2, 30, 15; 4, 34, 3; 4, 59, 7; 5, 21, 13; 6, 3, 8; 6, 10, 5; 9, 24, 13—15; 10, 43, 8; 21, 41, 12; 28, 3, 15; Dion Hal. 5, 39.

inermibus abstineretur [1]. Omnino multitudini imbelli temperatum est: mulieribus, liberis, senibus. Hunc re vera fuisse morem usumque Romanorum ex eo apparet, quod auctores semper expressis verbis addunt, si quando liberi, feminae, aetate confecti sunt necati. *Arma habemus,* inquit Camillus [2], *non adversus eam aetatem, cui etiam captis urbibus parcitur, sed adversus armatos.* Aetas puerilis etiam hostium misericordiam provocat [3].

Cicero de Caesare gloriatur: *Solus, inquam, es, C. Caesar, cuius in victoria ceciderit nemo nisi armatus* [4]. Imbellibus parcere erat usus belli, ratio belli. Sed iure belli licitum erat quemlibet hostem et armatum et armis nudatum interficere [5]. *Laedendi licentia iure belli infinita erat.* Quod adeo valebat, ut Marcellus ille accusatus dicere posset: *Quidquid in hostibus feci, ius belli defendit* [6]. Armato dulce erat et decorum iure belli cadere [7]. Titus, cum saepius Iudaeis deditionem suasisset atque incolumitatem promisisset, tandem praeconis voce declarari iussit se nulli veniam daturum esse: omnia se iure belli gesturum [8]. Caesar (a. 52 a. Chr.) ad civitatem Aeduorum nuntios misit, qui suo beneficio conservatos docerent, quos iure belli interficere potuisset [9].

---

[1] Dion. Hal. 3, 40; cf. Diod. frg. 36, 4, 7; Liv. 4, 59, 7; 5, 21, 13; 6, 3, 8; 6, 10, 5.

[2] Liv. 5, 27, 7.

[3] Oros. 4, 6, 3; Iust. epit. 18, 6, 12; cf. Liv. 9, 15, 5/7; 9, 24, 13/15; 9, 31, 3; 21, 14, 3/4; 24, 30, 7; 43, 19, 12; Dion. Hal. 4, 50; 10, 26; Appian. Samn. 6; Gall. 11; b. c. 1, 94; Caes. b. G. 2, 28, 2; Plut. Pomp. 36, 2; Ioseph. b. Iud. 3, 7, 36; Cass. Dio. 36, 2, 4; Sil. Ital. 2, 361; 11, 238.

[4] Pro Deiotaro 34.

[5] Cf. Plut. Cat. min. 58, 1; Appian. Samn. 4, 1.

[6] Liv. 26, 31.

[7] Tacit. ann. 12, 17.

[8] Ioseph. b. I. 6, 6, 3.

[9] Caes. b. G. 7, 41, 1; cf. 7, 40, 4.

Pariter atque aetas imbellis sacerdotes securitate et incolumitate frui solebant. Nefas visum est sacerdotes occidere [1]). Itemque tuti ab hostium caedibus esse solebant, qui in templa confugerant, atque praeter consuetudinem erat homines occidere ad aras deorum [2]). Quem morem etiam gentes Christianae fidei addictae observabant. Notum est illud praeceptum Alarici regis Romam occupantis, *ut si qui in sancta loca praecipueque in sanctorum apostolorum Petri et Pauli basilicas confugissent, hos inprimis inviolatos securosque esse sinerent, tum deinde, in quantum possent, praedae inhiantes a sanguine temperarent* [3]).

Interdum imperator, priusquam oppugnata est urbs, consilio habito ex omnium sententia militibus edixit, ne quis liberum corpus violaret [4]). Quin etiam, ut parceretur innoxiis, edici potuit, qui vellent, exirent suasque res secum deferrent, liberos eos futuros suaque omnia habituros esse, qui ante certam diem exissent; post eam diem, quique exissent quique ibi mansissent, hostium futuros numero [5]).

Sed exstant haud rara testimonia, quae pugnant contra hanc veniae consuetudinem. Omnes puberes interdum interfecti sunt [6]). Quae exempla cum pervestigaverimus, ad hanc crudelitatem duces profugere consuevisse intellegemus, si hostes summa vi ac pertinacia restiterant. Dionysius Hal. [7]) lege Romulum sanxisse narrat, ne puberes in urbibus bello

---

1) Ioseph. b. I. 6, 5, 1; 6, 6, 1.

2) Appian. Mithr. 53, 77; Suet. Aug. 17.

3) Oros. 7, 39, 1.

4) Liv. 25, 25, 7.

5) Liv. 25, 22, 11; 26, 12, 5.

6) Liv. 9, 31, 21, 3; 26, 46, 10; 31, 27, 4; 34, 10, 2; 43, 19, 12; Sall. Iug. 26, 3; 54, 6; 91, 6; Appian. Samn. 6; Gall. 1, 4; Ib. 52; 100; Illyr. 16; Dion. Hal. 10, 26; Diod. frg. 33, 19; Plut. Sertor. 3, 3; Tacit. ann. 13, 39; Ioseph. b. Iud. 3, 7, 1; 3, 7, 31; 3, 7, 36; Cass. Dio. frg. 30—35, 104, 7; 40, 34, 4; Zon. 8, 11; 9, 10.

7) 2, 16.

captis trucidarentur. Quaerentibus nobis, undenam venerit illa cognitio satis singularis, verisimillimum videtur esse Dionysium, qui quasi praeco Romanorum priscorum admiratione regum captus permulta eis attribuit, quae numquam fecerunt, finxisse atque interiecisse illam veniae legem in maiorem primi regis gloriam[1]). Hannibal cum Saguntum oppugnaret, signum dedit, ut omnes puberes interficerentur, *quod imperium crudele,* ut Livius ipse addit, *ceterum prope necessarium cognitum ipso eventu est: cui enim parci potuit ex iis, qui aut inclusi cum coniugibus ac liberis domos super se ipsos concremaverunt aut armati nullum ante finem pugnae quam morientes fecerunt*[2]*)?* Post pugnam apud Trasumennum lacum commissam ab Hannibale hoc imperatum est: φονεύειν τοὺς ὑποπίπτοντας τῶν ἐν ταῖς ἡλικίαις. Polybius huius tam crudelis praecepti causam adfert hanc: διὰ τὸ προϋπάρχον αὐτῷ μῖσος ἔμφυτον πρὸς Ῥωμαίους[3]).

Neque inermibus interdum temperabatur[4]) neque imbelli aetati sexuique[5]). Idem fecerunt: Carthaginienses[6]); Perseus[7]); Britanni[8]). Teutonum mulieres *consuluisse* dicuntur *consulem, ut, si inviolata castitate virginibus sacris ac dis serviendum esset, vitam sibi reservarent: itaque cum petita non impetravissent, parvulis suis ad saxa conlisis cunctae*

---

[1]) cf. Osenbrueggen p. 46, 5.

[2]) Liv. 21, 14, 3/4; Appian. Ib. 12.

[3]) Polyb. 3, 86, 11.

[4]) Liv. 6, 10, 5; 9, 14, 11; 24, 38, 9; 24, 39, 6; 27, 16, 6; 28, 20, 6; 30, 6. 3; Polyb. frg. 14, 5, 11; Caes. b. G. 7, 28, 5; 7, 47, 5; Appian. Gall. 1, 4; Ioseph. b. I. 2, 14, 9; 2, 17, 10; 2, 18, 8; 3, 7, 1; 6, 9, 2; Oros. 4, 21, 10; 5, 21, 1.

[5]) Liv. 9, 14, 9/11; 21, 15, 1; 28, 20, 6; 42, 63, 10; Tacit. ann. 14, 37; hist. 3, 33; Appian. Ib. 32; 100; Mithr. 38; Diod. frg. 37, 20; Ioseph. b. I. 4, 1, 10; 6, 5, 1; ant. I. 14, 6, 2; Flav. Vopisc. Aurelian. 31; Ammian. 16, 11, 9; 24, 4, 25; 30, 5, 14; 31, 6, 7/8; Zosim. 3, 15, 4; 3, 22, 6.

[6]) Diod. frg. 26, 23.

[7]) Diod. frg. 30, 4.

[8]) Tacit. ann. 14, 33.

sese ferro atque suspendio peremerunt[1]). De Raetis scriptum video interfecisse eos non modo, quidquid masculi sexus inter captivos iam exstaret natum, sed etiam in mulierum uteris per divinationes quasdam deprehenderetur[2]).

Revertar ad Romanos. Sed cum res ita se habeat, ut exempla modo commemorata docent, etiam concedendum est talia numquam facta esse, nisi milites vel crudelitate hostium lacessiti vel longis laboribus belli defatigati iraque stimulati erant[3]) aut odium susceperant vel in Iudaeos[4]) aut hostes summa pertinacia omnes recusaverant pacis condiciones ultro oblatas[5]). Samnites, si Livio credere licet, ad tantam crudelitatem processerunt, ut Cluvia, praesidio Romano, obsessa atque in deditionem accepta deditos verberibus foedum in modum laceratos occiderent[6]). Nimirum, quod huic crudelitati infensi Romani quam celerrime Cluviam vi ceperunt omnesque puberes interfecerunt[7]). Atque summum erat odium militibus, cum bellandum esset contra eos, qui saepius defecerant[8]). Ratione belli defenditur consuetudo non aliter cruentissimos hostes quam suis moribus domandi[9]). Sed foeda si exempla crudelitatis edebantur, culpa non solebat attinere duces Romanorum. Immo vero iis fere erat curae retinere milites ab innoxio sanguine et edictis ante oppu-

---

1) Oros. 5, 16, 13.
2) Cass. Dio. 54, 22.
3) Liv. 9, 14, 9/11; 9, 26, 2/4; 9, 31, 2/3; 24, 38, 9; 24, 39, 6; cf. 24, 37, 1; 24, 38, 4; Caes. b. G. 7, 28, 5; 7, 47, 5; Cass. Dio. 40, 34, 4.
4) Ioseph. b. I. 3, 7, 1.
5) Ioseph. b. I. 6, 6, 3.
6) Liv. 9, 31, 2/3.
7) Liv. 9, 31, 3.
8) Liv. 28, 20, 6; Appian. Ib. 32; Illyr. 16; Mithr. 38.
9) Flor. 3, 4, 7.

gnationem et imperio ac minis in oppugnatione [1]. Quin etiam praemium militi interdum edictum est, qui hostem captum servasset [2]. Si qua urbs oppugnabatur, nonnumquam fiebat, ut dux per praeconem omnibus incolis ipsis pronuntiaret incolumitatem, sed hostibus vel praesidio urbis illius omnem veniae spem adimeret. Etiam Hannibal secutus est hanc rationem [3]. Miles gregarius ut avidus est caedis, perfacile Marte saeviente omnia belli iura neglegens furorem transfert etiam in insontes. Titus Hierosolyma aggressus eos solos, qui in armis essent manibusque resisterent, occidi iussit, reliquam vero multitudinem vivam capi. Milites autem cum his, quos interficere iussi erant, etiam senes ac debiles trucidabant [4]. Callistratum, qui a secretis Mithridatis regis erat, adduci ad Lucullum milites iussi iugulaverunt, cum in zona quingentos aureos eum habere putassent [5]. Neque taceam hoc loco de Lochae urbis tristi sorte (a. 204. a. Chr.): ἐπεκηρυκεύοντο ἐκλείψειν τὴν πόλιν ὑπόσπονδοι, καὶ ὁ Σκιπίων ἀνεκάλει τῇ σάλπιγγι τὴν στρατιάν. ἡ δ' οὐχ ὑπήκουεν ὑπ' ὀργῆς, ὧν ἐπεπόνθεσαν, ἀλλ' ἐπιβάντες τοῖς τείχεσι καὶ γύναια καὶ παιδία κατέσφαττον [6]. Sed Scipio vehementer animadvertit in noxios: τοὺς λοχαγούς, ὅσοι συνεξήμαρτον, ἐκλήρωσεν ἐν τῷ μέσῳ καὶ τρεῖς τοὺς λαχόντας ἐκόλασε θανάτῳ. Quin etiam iumenta a militibus ira obstupefactis dicuntur trucidata esse [7]. Vel maxima disciplina corruit, cum milites furore amentes ulciscantur ignominiam acceptam. Quae licentia luculentissime apparet, cum absint duces, qui caedi moderentur. Cum (a. 314 a. Chr.) contra Ausones pugnabatur, absentibus ducibus impetus est factus: itaque

[1] Liv. 9, 14, 9/12; 26, 46, 10.
[2] Plut. Brut. 31, 3.
[3] cf. Polyb. frg. 8, 32, 3/4.
[4] Ioseph. b. I. 6, 9, 2; cf. Ios. ant. Iud. 14, 16, 2.
[5] Plut. Luc. 17, 8.
[6] Appian. Lib. 15.
[7] Liv. 9, 14, 9/11.

nullus modus caedibus fuit deletaque Ausonum gens, vix certo defectionis crimine, perinde ac si internecivo bello certasset[1]). Quamvis res ita se habeat, stultum est infitias ire duces ipsos nonnumquam iussisse etiam imbellibus veniam negari. Sed tale quid semper erat singulare quoddam atque inauditum[2]). Hoc esse factum Polybius contendit terroris causa. Ποιεῖν δέ μοι δοκοῦσι τοῦτο καταπλήξεως χάριν. Διὸ καὶ πολλάκις ἰδεῖν ἐστιν ἐν ταῖς τῶν Ῥωμαίων καταλήψεσιν τῶν πόλεων οὐ μόνους τοὺς ἀνθρώπους πεφονευμένους, ἀλλὰ καὶ τοὺς κύνας δεδιχοτομημένους καὶ τῶν ἄλλων ζώων μέλη παρακεκομμένα[3]).

Interdum, dum urbs expugnatur, inermes armato agmini intermixtos victores pugnae cupidi passim interfecerunt[4]).

Alii per errorem perierunt velut Archimedes[5]); sed Marcellus militem, qui eum interfecerat, fertur capite damnasse[6]).

Plane diversa exstat ratio bellis civilibus primo a. Chr. n. saeculo saevientibus atque servorum tumultibus, in quibus tantum aberat, ut milites utriusque partis observarent belli iura, ut vinculorum cognationis et necessitudinis furore caeci obliviscerentur[7]). Atque iure Cicero in senatu questus est, quod mulieres neque viri valida aetate solum, sed senes etiam puerique misere sunt trucidati; neque quemquam esse, qui satis digne eorum exitium deploraret[8]). C. Iulium Caesarem excipiam[9]). Sed Sulla

---

1) Liv. 9, 25, 9.

2) Sall. Iug. 54, 6; Appian. Ib. 52; 60: οὐκ ἀξίως δὲ Ῥωμαίων μιμούμενος βαρβάρους. App. Ib. 100; Tacit. ann. 2, 21; 12, 17; hist. 3, 34; Ioseph. b. I. 3, 10, 10.

3) Polyb. frg. 10, 15, 4/5.

4) Liv. 42, 63, 10.

5) Cic. fin. 5, 50; Verr. 4, 131; Liv. 25, 31, 9; Valer. Max. 8, 7; Plut. Marc. 19, 7; Zon. 9, 5, 5.

6) Ttetz. Chil. 2, 136—149.

7) Flor. 3, 21, 26; 3, 21, 23; Frontin. strateg. 1, 5, 20.

8) Cass. Dio. 44, 30, 6.

9) cf Caes. b. c. 2, 22; 3, 98; b. Afr. 92; Vell. Paterc. 2, 56, 1.

veritus non est multa milia deditorum in villa publica caedere[1]). Munatius Flaccus Pompeiani nominis acrior quam probabilior defensor, cum ab imperatore Caesare in Hispania inclusus moenibus Ateguensium obsideretur, efferatam crudelitatem suam truculentissimo genere vaesaniae exercuit: omnes enim eius oppidi cives, quos studiosiores Caesaris senserat, iugulatos muris praecipitavit: feminas quoque citatis nominibus virorum, qui in contrariis castris erant, ut caedes coniugum suarum cernerent, maternisque gremiis superpositos liberos trucidavit: infantes alios in conspectu parentum humo infligi, alios superiactatos pilis excipi iussit[2]). Quae qualesque crudelitates e proscriptionibus natae[3]) sunt! Itaque senatu convocato ex sententia Catonis decretum est, ne quis Romanorum extra proelium occideretur neve ulla urbs Romanis subdita diriperetur[4]).

Propria vox erat: *ad internecionem caedere vel delere*[5]). Ita Germanicus in summo belli Germanici periculo fatigatos milites adhortatus est, ut caedibus insisterent: *nil opus captivis, solam internicionem gentis finem bello fore*[6]). Hoc nominatur *bellum internecivum*[7]).

Operae pretium est paucis verbis conferre, quibus caerimoniis consueverint veniam petere victi a victoribus. Maiores natu et dignitate aetatis confecti nobilissimi civitatis victori obviam ire solebant[8]) infulas et velamenta

---

[1]) Valer. Max. 9, 2, 1; Liv. per. 88; de vir. ill. 75, 10.

[2]) Valer. Max. 9, 2, 4.

[3]) Plut. Ant. 19; 20; Sull. 31; 32; Cic. 46; Appian. b. c. 4, 5 sq.; 1, 95; Cass. Dio. frg. 30—35, 102; 109; 110; 47, 4—19; Oros. 6, 18, 10; 5, 21, 3 sq.; Liv. per. 88; Valer. Max. 9, 2, 1/2.

[4]) Plut. Pomp. 65, 1; Cato min. 53, 2.

[5]) Liv. 9, 26, 2; 9, 45, 17; Caes. b. G. 2, 28, 1; Oros. 6, 7, 16; 6, 8, 23; 6, 21, 15; 7, 15, 10.

[6]) Tacit. ann. 2, 21.

[7]) Liv. 9, 25, 9.

[8]) Appian. Ib. 52; Caes. b. G. 2, 13, 2/3; Diod. frg. 24, 10, 2; Dion. Hal. 5, 59; Tacit. hist. 1, 63.

praeferentes [1]). Rami oleae erant victoribus supplicantium. Apud Alpium gentes θαλλοὶ καὶ στέφανοι dicuntur signa fuisse amicitiae: σύνθημα φιλίας, καθάπερ τὸ κηρύκειον τοῖς Ἕλλησιν [2]). Mulieres de muro pectoribus nudis prominentes passis manibus obtestabantur victores, ut sibi parcerent [3]). Tendere manus erat signum mortis deprecandae [4]). Qui veniam victoris adit, abicit arma [5]). Atque ut supplex videretur, is, qui equitavit, de equo descendit, simulac venit ad victorem [6]). Pompeius vero Tigranem misso lictore iussit equo descendere, quo vectus patrio more ipsum etiam vallum intraturus fuerat [7]). Nullum enim umquam equitare in castris Romanis visum esse [8]). Saepe supplices, ut misericordiam excitarent, ad pedes victoris se proiecerunt genuaque tetigerunt [9]). Insignia dignitatis reges supplices exuebant [10]). Sordida veste induti et squalore obsiti accesserunt ad imperatoris tribunal [11]). Etiam nudis pedibus supplicarunt victi victoribus [12]). Symbolum, ut ita dicam, deditionis erat

---

1) Polyb. frg. 39, 3a; Diod. frg. 24, 10, 2; 26, 20; 34, 31; Dion. Hal. 1, 20; 3, 50; 4, 27; 5, 59; 6, 18; Appian. Ib. 43; 52; 61; Lib. 130; 131; Caes. b. c 2, 12; Tacit. hist. 1, 66; 3, 31; Zon. 9, 30.

2) Polyb. 3, 52, 3.

3) Caes. b. G. 7, 47, 5.

4) Polyb. 3, 84, 10; Appian. Lib. 49; b. c. 2, 88; Caes. b. G. 7, 40, 6; b. c. 3, 98.

5) Caes. b. G. 7, 40, 6; b. c. 2, 12; Polyb. 1, 78, 34; Plut. Caes. 27, 3; Zosim. 2, 21, 3; 4, 20, 5.

6) Polyb. 1, 78, 3/4; Plut. Caes. 27, 3.

7) Cass. Dio. 36, 52, 3

8) Plut. Pomp. 33, 1/2.

9) Diod. frg. 32, 23; Polyb. 1, 35, 3; Cass. Dio. 36, 52, 3; 68, 9; Plut. Aem. Paull. 26; Caes. 27, 3; Pomp. 33, 1, 2; Appian. b. c. 5, 102; Illyr. 9; Lib. 49; Eutrop. 4, 7, 2; Caes. b. G. 1, 27, 2; b. c. 3, 98; Ammian. 16, 12, 65; 17, 10, 3; 30, 5, 1; Tacit. hist. I, 66; Valer. Max. 5, 1, 8; 5, 1, 9; Zon. 10, 4; 11, 21.

10) Cass. Dio. 36, 52, 3; Plut. Pomp. 33, 1/2.

11) b. Alex. 32; Cass. Dio. 49, 12, 9; Zon. 10, 25; Valer. Max. 9, 10, 1.

12) Ioseph. b. I. 2, 15, 1.

manus iungere captivorum more, quasi vinctae essent [1]). Caesarum temporibus fiebat, ut supplices procumberent apud effigiem Caesaris [2]). Exercitus deditionem significabant aut armis abiectis aut scutis in capita sublatis [3]) aut scutis perversis [4]). Macedonibus consuetudo erat, cum aut deditionem aut transitionem ad hostes faciebant, ut sarisas in altum erectas tenerent [5]). Quicumque capiebantur in mari, vitam poterant petere abiectis telis remisque plausu undique pari, quod supplicantium signum erat [6]). Caduceum ponebant in prora: τὸ κηρύκειον ὑψηλὸν ἔστησαν ἐπὶ τῆς πρῴρας [7]). Atque supplices manus e navibus porrigebant [8]). Denique eam consuetudinem commemorem, quam memoriae servavit Plinius [9]): *Summum apud antiquos signum victoriae erat, herbam porrigere victos, hoc est, terra et altrice ipsa humo et humatione etiam cedere: quem morem etiam nunc durare apud Germanos scio.*

Neque raro factum est, ut Romani fortitudinem ac virtutem hostium admirati mitiore essent animo adversus victos [10]), quod factum esse Liers [11]) plane negat. Ἀρετή τοι δυστυχοῦσι μεγάλην ἔχει μοῖραν αἰδοῦς καὶ παρὰ πολεμίοις, δειλία δὲ Ῥωμαίοις, κἂν εὐποτμῇ, πάντη ἀτιμότατον [12]). Augustus Segestanos ἐπαίνῳ τε τῆς ἀρετῆς καὶ ἐλέῳ τῆς ἱκεσίας οὔτε ἔκτεινεν οὔτε ἀνέστησεν, ἀλλὰ χρήμασιν ἐζημίωσεν [13]). Eandem viam

---

1) Cass. Dio. 68, 10.
2) Tacit. ann. 12, 17; cf. Suet. Aug. 17.
3) Appian. b. c. 2, 42.
4) Ammian. 26, 9, 7.
5) Polyb. frg. 18, 9, 9—11.
6) Flor. 3, 6, 13.
7) Appian. Lib. 49.
8) Appian. b. c. 2, 88.
9) nat. hist. 22, 4.
10) Cass. Dio. 42, 14, 2; 43, 13, 4; Ioseph. b. I. 3, 8, 2.
11) p. 231.
12) Plut. Aem. Paull. 26, 7.
13) Appian. Illyr. 24.

ingressi sunt Pyrrhus[1]), Hannibal[2]). Neque haec ratio interdum aliena erat a Germanis[3]) aut Parthis[4]).

Etiam quo quisque loco esset natus, haud raro Romani rationem habebant[5]).

Gloria maiorum interdum urbi captae erat saluti velut Athenis[6]), Syracusis. *In ornatu urbis habuit* Marcellus *victoriae rationem, habuit humanitatis*[7]). Massiliam urbem Caesar magis pro nomine et vetustate quam pro meritis in se civitatis conservavit[8]). Alexandriam Augustus servari voluit ob Alexandrum urbis auctorem et admirabilem urbis pulchritudinem[9]). Corinthum, lumen Graeciae, dirutam queritur Cicero[10]).

Eodem modo ii, qui litteris artibusque praeter ceteros florebant, meritis ipsorum saepius defendebantur ab iniuria[11]). Archimedes Syracusanus invito duce Romano a gregario milite, quis esset, inscio interfectus est. Sed Marcellus compertos Archimedis necessarios honoribus dicitur affecisse[12]).

Pro meritis atque beneficiis singulorum victor capto pepercit[13]). Caesar haud neglegens beneficia gentis Aeduis, quantum potuit, pepercit[14]). Iosephus Iudaeus, quod Vespasianum rerum potiturum esse praedixerat, servatus

---

1) Cic. off. I, 38.
2) Plut. Marc. 10, 2.
3) Plut. Mar. 23, 6.
4) Plut. Crass. 28.
5) cf. Liv. 26, 34, 2; 26, 34, 4; Ioseph. b. I. 6, 6, 4.
6) Cass. Dio. 42, 14, 2.
7) Cic. in Verr. 4, 120; cf. Diod. frg. 26, 20; Plut. Marc, 19, 4; Sil. Ital. 14, 665–679.
8) Caes. b. c. 2, 22.
9) Plut. Ant. 80, 1.
10) off. 1, 35.
11) Plut. Luc. 19, 10.
12) Plut. Marc. 19, 4.
13) Appian. b. c. 5, 142.
14) Caes. b. G. 7, 40, 4.

est[1]). Amicis intercedentibus remiserunt victores iram[2]). Civium, qui in hostium manus venerant, misericordia coacti sunt demere aliquid de summo belli iure[3]).

Plurimum intererat, quo quisque dux animo condiciones rerum perpenderet.

Nam, quoniam ius belli est, ut, qui vicerunt, iis, quos vicerunt, quem ad modum velint, imperent[4]), ducem animo miti praeditum aliter in victos animadversurum patet ac crudelem. Quod optime illustratur dissensione inter Fulvium et Claudium consules nata (a. 211 a. Chr.). Vitae necisque potestatem consules, cum essent extra urbem, habuisse satis constat. Sed *de supplicio Campani senatus haudquaquam inter Fulvium Claudiumque conveniebat: facilis impetrandae veniae Claudius, Fulvius durior sententia erat. Itaque Appius Romam ad senatum arbitrium eius rei totum reiciebat*[5].) Aemilius Paullus de se ipse dicit adversus armatum in acie hostem gravem se ac metuendum esse, in victos autem placidum mitemque[6]). Cretenses, cum Metellus saeve in captivos consuleret, deditionem ad Pompeium absentem miserunt, in quo maiorem veniae spem ponebant[7]). Scipio Africanus minor omnibus clementia adeo fertur praestitisse, ut nemo ex obsessis Romanis se dederet, nisi Scipio condiciones dictaret: εἰ μὴ Σκιπίωνι συντίθοιτο τὰς ὁμολογίας[8]). Admonere necesse non est, quantum intercedat inter bella civilia et a Sulla, Mario et a Caesare, Octaviano gesta[9]).

---

1) Ioseph. b. Iud. 3, 8, 9; Sueton. Vesp. 5; Oros. 7, 9, 3; 7, 9, 7.

2) Caes. b. G. 2, 14; 15; Plut. Marc. 20, 10; Cato. min. 58, 1; Ioseph. vit. 75

3) Zon. 8, 13.

4) cf. Caes. bell. Gall. 1, 36. 1.

5) Liv. 26, 15, 1.

6) Diod. frg. 30, 23, 2; cf. Eutrop. 4, 7, 2; Plut. Aem. Paull. 30, 1.

7) Flor. 3, 7, 5.

8) Diod. frg. 32, 7.

9) Cass. Dio. 44, 45; Cic. pro Marc. 12.

Haec causa variae captorum condicionis crebruit aetate Caesarum. Ut quisque erat crudelis aut mitis, ita sors captivorum bona, quoad hoc dicere licet, aut misera. Sed crudelitas praevalebat.

Satis mirum videtur, quod Plutarchus Marcellum tradidit primum fuisse, qui humaniorem belli rationem iniret [1]). Τῶν δὲ Ῥωμαίων τοῖς ἐκτὸς ἀνθρώποις δεινῶν μὲν εἶναι πόλεμον μεταχειρίσασθαι καὶ φοβερῶν εἰς χεῖρας ἐλθεῖν νομιζομένων εὐγνωμοσύνης δὲ καὶ φιλανθρωπίας καὶ ὅλως πολιτικῆς ἀρετῆς ὑποδείγματα μὴ δεδωκότων, πρῶτος δοκεῖ τότε Μάρκελλος ὑποδεῖξαι τοῖς Ἕλλησι δικαιοτέρους Ῥωμαίους. Οὕτω γὰρ ἐχρῆτο τοῖς συμβάλλουσι καὶ τοσαῦτα καὶ πόλεις καὶ ἰδιώτας εὐεργέτησεν, ὥστε εἴ τι περὶ Ἔνναν ἢ Μεγαρεῖς ἢ Συρακοσίους ἔργον ἦν εἰργασμένον οὐκ ἐπιεικὲς αὐτοῖς, τοῦτο τῶν πεπονθότων αἰτίᾳ μᾶλλον ἢ τῶν πεποιηκότων δοκεῖν γεγονέναι.

Exercitus, qui vel in urbe obsidebatur vel angustiis includebatur ita, ut omnis evadendi spes adimeretur, saepius per deditionem in potestatem victoris venit. Cuius deditionis antiquissimam formulam memoriae Livius servavit [2]): *deditosque Collatinos ita accipio eamque deditionis formulam esse. Rex interrogavit: ‚Estisne vos legati oratoresque missi a populo Conlatino, ut vos populumque Conlatinum dederitis?' Sumus. ‚Estne populus Conlatinus in sua potestate?' Est. ‚Deditisne vos populumque Conlatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina humanaque omnia in meam populique Romani dicionem?' Dedimus. ‚At ego recipio.'*

Polybius, quae sit vis in deditione, optime ita definit: Οἱ γὰρ διδόντες αὑτοὺς εἰς τὴν Ῥωμαίων ἐπιτροπὴν διδόασι πρῶτον μὲν χώραν τὴν ὑπάρχουσαν αὐτοῖς καὶ πόλεις τὰς ἐν ταύτῃ, σὺν δὲ τούτοις ἄνδρας καὶ γυναῖκας, τοὺς ὑπάρχοντας ἐν τῇ χώρᾳ καὶ ταῖς πόλεσιν ἅπαντας· ὁμοίως ποταμούς, λιμένας, ἱερά, τάφους συλ-

[1]) Plut. Marc. 20, 1/2.
[2]) Liv. 1, 38, 1.

λήβδην ὥστε πάντων εἶναι κυρίους Ῥωμαίους, αὐτοὺς δὲ τοὺς διδόντας ἁπλῶς μηκέτι μηδενός [1]).

Priusquam urbs dederetur, pactio inter obsessos oppugnantesque fiebat, qua deditionis condiciones statuerentur [2]). Sed is tantum pactionem inire poterat, qui summam belli obtinebat. Itaque Hannibal irritam iudicavit pactionem a Maharbale concessam [3]). Quicumque in deditionem venerunt, arma ponere, tormenta tradere debebant [4]). Deditionis nulla est condicio nisi armis traditis [5]). Sed fiebat, ut cives armorum partem celarent atque in oppido retinerent [6]). Sed etiam Romani nonnumquam postulaverunt, ut praeter arma tormentaque equi, naves omnesque pecuniae publicae traderentur [7]). Centuriones cum militibus, qui omnia conquirant, in urbes intromittuntur [8]).

Incolis urbium vi captarum vel gentibus vi in condicionem redactis, ut ignominia afficerentur neve noxiae esse possent Romanorum exercitibus, arma post adempta sunt [9]). Sed minime imperatori licebat arma in pace adimere. M. Furius praetor Cenomanis in pace ademerat

---

[1]) Polyb. frg. 36, 2, 2/3.

[2]) Polyb. frg. 10, 15, 7/8; Liv. 38, 9; 42, 8; Diod. frg. 23, 18, 4/5.

[3]) Polyb. 3, 84, 14; 85, 2/3.

[4]) Liv. 5, 27, 14; 5, 32, 4; 6, 3, 3; 6, 8, 10; 21, 57, 13/14; 22, 59, 6; 26, 14, 7; 32, 17, 2; 32, 34, 7; 33, 17, 15; 36, 24, 11; 39, 2, 4; 39, 2, 9; 40, 41, 5; 41, 19, 1; Vell. Paterc. 2, 106, 1; 2, 114, 4; Oros. 4, 21, 10; 6, 8, 20; Caes. b. G. 1. 27; 2, 13, 1; 2, 14; 2, 15; 3, 21, 3; 7, 11, 2; 7, 12, 3/4; 7, 89, 2/3; b. c. 2, 22; Polyb. 3, 84, 14; Dion. Hal. 8, 14; Appian. b. c. 2, 46; Mithr. 96; Ib. 77; 95; 96; 97; Ioseph. b. Iud. 6. 6, 2.

[5]) Caes. b. G. 2, 32, 1.

[6]) Caes. b. G. 2, 32, 4.

[7]) Liv. 38, 8, 9/10; Caes. b. G. 7, 11, 2; 7, 12, 3/4; Appian. b. c. 4, 81; Mithr. 96; Ib. 75: τοὺς μὲν ἵππους αὐτῶν καὶ τὸν σῖτον καὶ χρήματα, ὅσα κοινὰ ἦν, ἢ εἴ τις ἄλλη δημοσία παρασκευή, πάντα περιεῖλεν.

[8]) Caes. b. G. 7, 12, 3/4.

[9]) Liv. 9, 16, 9/10; 22, 21, 4; 34, 17, 5; 34, 28, 11; Appian. Ib. 72; 77.

arma. Inde Cenomani conquesti sunt Romae apud senatum atque magno certamine cum praetore habito tenuerunt causam. Arma iis sunt reddita, praetor provincia decedere iussus est [1]). Certis condicionibus a senatu arma reddi poterant. Galli, qui sine ullius iniuria oppidum in Italia aedificare coeperant, L. Porcio proconsuli advenienti se dediderant atque arma et alia, quae secum habebant, adempta aegre ferentes legatos Romam miserunt, qui in senatu quererentur. Senatus respondet se legatos ad consulem missurum esse, qui, si redeant, unde venerint, omnia iis sua reddi iubeant, quique protinus eant trans Alpes et denuntient Gallicis populis, multitudinem suam domi contineant [2]). Ad fidem deditionis obsides imperati sunt [3]).

Grave Romani fecerunt discrimen inter urbes deditas et vi captas [4]). Nimirum voluntaria deditio iram lenivit [5]). Multum interest, utrum deditio ipsa fuerit voluntaria an vi atque armis coacta [6]). Deditio voluntaria incolumitatem praestare solebat [7]). Piratis quoque, qui ultro se dediderant, a Pompeio temperabatur [8]). Aliter animadvertit in eos

---

1) Liv. 39, 3, 2; cf. Diod. frg. 29, 14.

2) Liv. 39, 54, 4—11.

3) Liv. 9, 20, 4; 5, 27, 14; 21, 61, 6/7; Caes. b. G. 1, 27; 2, 13, 1; 2, 14; 15; 3, 23; 7, 11, 2; 7, 12, 3/4; Appian. Ib. 75; 77; 79.

4) Liv. 2, 17, 6; 21, 57, 13/14; 28, 43, 14; 37, 32, 12: 38, 9, 10; 38, 11, 9; 39, 25, 5; 43, 19, 6; Polyb. frg. 14, 9, 4; Dion. Hal. 3, 53; Diod. frg. 32, 18; Plut. Pomp. 12, 4; Ioseph. b. Iud. prooem. 8; Cass. Dio. 48, 15, 1; 49, 12, 5; 60, 21, 4; frg. 17, 57, 53; Zon. 8, 5; 8, 12; 9, 11; 9, 20; 9, 27; 10, 25; Oros. 4, 18, 7; 4, 21, 10; 6, 2, 4.

5) Liv. 28, 20, 12; 30, 7, 2.

6) Liv. 43, 1, 2/3; 42, 63, 10.

7) Liv. 7, 27, 9; 42, 8, 1—8; 42, 21, 5; Polyb. 3, 84, 14; frg. 10, 15, 7/8; 14, 6, 4/5; Dion. Hal. 8, 14; Diod. frg. 23, 18, 4/5; Caes. b. G. 2, 13, 1; 2, 14; 15; b. c. 3, 98; Appian. b. c. 4, 81; 5, 46; 5, 102; Plut. Sertor. 18, 7; Cass. Dio. 49, 12, 5; 66, 5; Ioseph. b. Iud. 6, 6, 2.

8) Plut. Pomp. 27, 4.

Fabius Maximus Servilianus [1]). Imperator, cum iram atque avaritiam imperio potentiora videret, praeconibus per urbem missis liberos omnes in forum ad se convenire, ne violarentur, iubere interdum coactus est [2]). Sed quamvis incolae in deditionem venissent, interdum, sed raro venierunt. Quod bis inveni senatum passum non esse. Liguribus, qui in deditionem venerant, contra ius belli venumdatis senatui placuit, M. Popilium consulem Ligures pretio emptoribus reddito ipsos restituere in libertatem bonaque ut is, quidquid eius reciperari possit, reddantur curare, arma quoque reddi eaque primo quoque tempore fieri, nec ante consulem de provincia decedere quam deditos in sedem suam Ligures restituisset: *claram victoriam vincendo pugnantes, non saeviendo in adflictos fieri* [3]). Proximo anno sanciebatur, ut qui ex Statellis deditis in libertatem restitutus ante calendas Sextiles primas non esset, cuius dolo malo is in servitutem venisset, ut iuratus senatus decerneret, qui eam rem quaereret animadverteretque [4]). At nil recusante senatu deditos esse venumdatos docent alia exempla [5]).

Plane aliam consuetudinem secuti sunt Romanorum duces, si deditio, cum miles scalis iam in muros evaderet, vi est coacta [6]). Nimirum, quod, cum talis deditio simillima esset expugnationi, dediti in servitutem more belli captorum venumdabantur [7]). Idem docet sors Auruncorum. *Cum vineis refectis aliaque mole belli iam in eo esset, ut in muros evaderet miles, deditio est facta. Ceterum nihilo minus foeda dedita urbe, quam si capta foret, Aurunci passi: principes securi percussi, sub corona venierunt coloni alii, oppidum*

1) Appian. Ib. 68.

2) Liv. 37, 32, 11—14.

3) Liv. 42, 8, 7/8.

4) Liv. 42, 21, 5.

5) Liv. 9, 42, 7; 26, 16, 5.

6) Liv. 2, 17, 6; 38, 29, 11; 42, 63, 10.

7) cf. Dion. Hal. 3, 50; 53; Appian. Hann. 43; Ib. 96; 97; 99; Plut. Sertor. 3, 5; Caes. b. G. 3, 16, 4.

dirutum, ager veniit[1]. Caesar Aduatucis promisit civitatem se conservaturum, si, priusquam murum aries attigisset, se dedissent[2]. Quod nisi factum erat, facinus contra ius belli erat oppidum diruere, incolas partim occidere, partim vendere. Marius Capsenses (a. 116 a. Chr.) ad deditionem redegit: *ceterum oppidum incensum, Numidae puberes interfecti, alii omnes venundati, praeda militibus divisa. Id facinus contra ius belli non avaritia neque scelere consulis admissum, sed quia locus Iugurthae opportunus, nobis aditu difficilis, genus hominum mobile infidum, ante neque benificio neque metu coercitum*[3].

Quae cum consideraverimus, mira sane videbuntur illa Ciceronis verba: *et cum iis, quos vi deviceris, consulendum est, tum ii, qui armis positis ad imperatorum fidem confugient, quamvis murum aries percusserit, recipiendi. In quo tanto opere apud nostros iustitia culta est, ut ii, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, earum patroni essent more maiorum*[4]. Polybius rectius iudicat, cum scribat apud Romanos eiusdem significationis esse: *fidei sese permittere* et *victoris arbitrio se permittere:* Παρὰ δὲ Ῥωμαίοις ἰσοδυναμεῖ τό τε εἰς τὴν πίστιν αὑτὸν ἐγχειρίσαι, καὶ τὸ τὴν ἐπιτροπὴν δοῦναι περὶ αὑτοῦ τῷ κρατοῦντι[5].

Itaque nihil praeter consuetudinem factum est, si Satrici urbis incolae re vera venumdati sunt. Quae Volscorum urbs, cum corona militum cincta iam scalis caperetur, in deditionem venit. Sed quorum libros Livius ante oculos habuit, alii tradunt incolas ante currum in triumpho ductos esse venumdatos, alii hanc multitudinem captivam servorum fuisse.

---

1) Liv. 2, 17; cf. Cass. Dio. 74, 14, 1; Zon. 12, 8.
2) Caes. b. G. 2, 32, 1.
3) Sall. Iug. 91, 5—7.
4) Cic. off. 1, 35.
5) Polyb. frg. 20, 9, 10—12.

Quid Livius ipse sibi persuasit? *id magis verisimile est quam deditos venisse*[1]).

Neque miramur, quod duces Romani deditionem, cum summa demum offensione oppugnationis ab incolis fieret, non acceperunt[2]). Quod Caesar Uxelloduni incolis ad deditionem coactis manus praecidit, infanda est crudelitas, quamvis Caesar conferre conetur causas, quibus commotus reliquos deterrendos exemplo supplicii existimaverit[3]). Idem facinus *etiam ultimis barbaris Scythiae, non dicam Romanae fidei et moderationi exsecrabile* commiserat Fabius consul bello Viriathico[4]). Deditione iam accepta duces Romani haud raro calcarunt fidem datam[5]).

Sed non desunt clementiae et humanitatis exempla[6]). Summam quandam crudelitatis etiam hac in re praebent bella civilia. Sulla non dubitavit deditos contra fas et fidem datam inermes trucidare[7]). Pompeius quoque non sine gravi crimine deditos interfecit[8]).

Omnia, quae de deditione exposuimus, cum breviter comprehendamus, iure quodam Livium dicere potuisse invenimus[9]): *mos vetustus erat Romanis, cum quo nec foedere nec aequis legibus iungeretur amicitia, non prius imperio in eum tamquam pacatum uti, quam omnia divina humanaque dedisset, obsides accepti, arma adempta, praesidia urbibus inposita forent.*

Ignominiosior ut redderetur deditio atque exprimeretur confessio subactam domitamque esse gentem[10]), exercitus

---

[1]) Liv. 7, 27, 8.
[2]) Tacit. ann. 12, 17.
[3]) Caes. b. G. 8, 44; Oros. 6, 11, 28/29.
[4]) Oros. 5, 4, 12.
[5]) Diod. frg. 32, 18; Oros. 5, 21, 10.
[6]) Liv. 27, 15, 1; 34, 21, 5; 43, 1, 2/3; Antiochus: Liv. 36, 9, 15.
[7]) Flor. 3, 21, 24; Oros. 5, 21, 1; Plut. Sull. 30, 3.
[8]) Plut. Pomp. 16, 3.
[9]) 28, 34, 7.
[10]) Liv. 3, 28, 10.

capti sub iugum saepius mittebantur [1]). Victi cum sub iugum mitterentur, confessi sunt ipsi victos se esse atque imperio parere [2]). Sub iugum mitti victis erat summa ignominia: αἰσχύνη [3]). Sub iugum mittebantur hostes devicti, ut superbia minueretur atque tolleretur [4]): *ut nec amici forent beneficio et post flagitium hostes magis* [5]). Ὁ τοῖς μὲν δρῶσι λαμπρότητα, πολλὴν δ'ἀτιμίαν τοῖς πάσχουσιν ἔφερεν, ὥστε τινὰς τοῦ τοιοῦτόν τι παθεῖν προαιρεῖσθαι θανεῖν [6]).

Primum quaeritur, utrum omnes antiquitatis populi an singuli usi sint iugo. Romani ipsi saepe mittebant hostes devictos sub iugum: Aequos [7]), Volscos [8]), Samnites (qui antea exercitum Romanum sub iugum miserant) [9]).

---

1) Liv. 3, 28, 9/10; 3, 29, 1; 3, 67, 5; 4, 10, 3; 4, 10, 7; 9, 5, 5; 9, 4, 3; 9, 15, 5—7; 9, 42, 7; 10, 36, 14; 10, 36, 19; 22, 14, 12; 23, 42, 7; 25, 6, 10; 25, 6, 12; Liv. per. 3; 9; Oros. 3, 15, 4—6; 3, 15, 9; 5, 1, 9; 7, 7, 12; de vir. ill. 30, 4; Eutrop. 2, 9, 1/2; 10, 17, 2; Iordan. Rom. 145/146; Valer. Max. 2, 7, 7; 5, 1 ext. 5; Appian. Samn. 4, 1—4; Gall. 1, 3; Caes. b. G. 1, 7, 4; 1, 12, 6; Cass. Dio. frg. 8, 22; 8, 36, 10; Cic. off. 3, 109; Dion. Hal. 3, 21; 3, 22; 10, 20; 10, 24; Fest. p. 305 M; Frontin. strateg. 4, 1, 19; Sall. Iug. 38, 9; Suet. Ner. 39; Tacit. ann. 11, 24; Zonar. 7, 17; 7, 26; 8, 1. Auctores posterioris latinitatis saepius utuntur verbo ***subiugandi***; quod verbum modo signi ficat: ***sub iugum mittere*** (cf. Oros. 2, 12, 8; 3, 15, 3), modo: ***in potestatem redigere*** (cf. Oros. 7, 37, 15; Ammian. 14, 8, 4; 14, 10, 14; 24, 3, 9; Hieronym. chron. p. 135 Sch., Iordan. Rom. 227; 313).

2) Liv. 4, 10, 3.

3) Appian. Samn. 4, 4; δύναται δ', ἐμοὶ δοκεῖν, τὸ εἶδος τῆς ἀφέσεως, ὃ καλοῦσιν οἱ τῇδε ζυγὸν ὀνειδίζειν ὡς δοριαλώτοις (Appian. Samn. 4, 6); insignis calamitas: Caes. b. G. 1, 12, 6; αἰσχύνη Cass. Dio. frg. 8, 22.

4) Appian. Samn. 4, 4: Ῥωμαίων τι τοῦ φρονήματος περιέλοιμι.

5) Flor. 1, 16, 11; Iord. Rom. 145.

6) Zon. 7, 17; cf. Zon. 8, 17, 5.

7) Liv. 3, 28, 9/10; 3, 29, 1; Liv. per. 3; Valer. Max. 2, 7, 7; Dion. Hal. 10, 20; 10, 24; Zon. 7, 17.

8) Liv. 3, 67, 5; 4, 10, 3; 4, 10, 7.

9) Liv. 9, 4, 3; 9, 5, 8—14; 9, 6, 1; 9, 15, 5—8; 9, 42, 7; 10, 36, 14; 10, 36, 19; 23, 42, 7; 25, 6, 10; 25, 6, 12; Liv. per. 9; Flor. 1, 16, 11/12; Eutrop. 2, 9, 1/2; de vir. ill. 30, 4; Oros. 3, 15, 4—6; 3,

Sequitur, ut antiquissimis temporibus, cum finitimi populi domandi erant, Romani usi sint iugo. Nimirum, quod, si maiorum exercituum singulos milites sub iugum mittere voluissent Romani, permultum temporis esset consumptum. Deseritur igitur consuetudo, ex quo magna periculosaque bella gerebantur cum exteris nationibus vel Poenis vel Macedonibus vel Syris.

A Samnitibus Romanos sub iugum missos esse satis constat. A Graecis consuetudo illa plane aliena erat. Neque enim umquam a Graecis hostes devictos sub iugum missos accepimus: immo Dionysius Halicarnassensis homo vere Graecus iugum ignominiosum Romanorum describit tamquam morem Graecis novum et minime usitatum[1]). At alii populi iugo usi sunt. Hannibal, dux Poenorum primo bello Punico, Romanos sub iugum misit[2]). Iugurtha Romanos affecit iugi contumelia[3]). Legiones Romanas in Hispania apud Numantiam sub iugum missas esse tradit Eutropius[4]). Tigurini (a. 107 a. Chr.) exercitum L. Cassi consulis sub iugum miserunt[5]). Mithridates in oratione satis memorabili, quam Iustinus memoriae prodit, *a multis civitatibus Italiae* dicit *deletos Romanorum exercitus ferri, a quibusdam novo contumeliae more sub iugum missos*[6]). Neronis aetate legiones Romanae in Armenia sub iugum Parthicum missae sunt[7]). Sed nullo loco invenio ab iis populis, quos modo commemoravi, alios hostes sub iugum missos esse ac Romanos. Hos quin iugi contumelia affecerint, dubium non

---

15, 9; Iordan. Rom. 145/146; Cic. off. 3, 109; Tacit. ann. 11, 24; Appian. Samn. 4, 1; 4, 4; Cass. Dio. frg. 8, 22; 8, 36, 10; Zon. 7, 26.

[1]) Dion. Hal. 3, 21.

[2]) Frontin. strateg. 4, 1, 19.

[3]) Sall. Iug. 38, 9; cf. Eutrop. 10, 17, 2.

[4]) 10, 17, 2.

[5]) Caes. b. G. 1, 7, 4; 1, 12, 6; Appian. Gall. 1, 3.

[6]) Iustin. hist. Phil. 38, 4, 12.

[7]) Sueton. Ner. 39; Oros. 7, 7, 12.

est ea causa commoti, quod Romanos summam ignominiam existimare iugum haud ignorabant. Poenis, Numidis, Hispanis, Tigurinis, Parthis iugum principio aeque ac Mithridati erat *novus contumeliae mos,* quem bellis cum Romanis gestis cognitum acceperunt, ut Romanos contumelia quasi propria afficerent.

Consuetudinem illam sub iugum hostes mittendi undenam venerit, quidam satis mire interpretantur. Florus[1]), ubi agit de bello Latino: Aequos et Volscos *Titus Quinctius domuit, ille dictator ab aratro, qui obsessa et paene iam capta Manili consulis castra egregia victoria recuperavit. Medium erat tempus forte sementis, cum patricium virum innixum aratro suo lictor in ipso opere deprehendit. Inde in aciem profectus, victos, ne quid a rustici operis imitatione cessaret, more pecudum sub iugum misit.*

Fronto[2]): *truces tauri subigi iungendo domarique potuere: praequam nostri exercitus illi sub iugum missi sunt; sed eosdem illos, qui sub iugum egerant, paulo post ante triumphum nostri egere et captivos sub corona vendidere.*

Orosius[3]): (Quinctius Cincinnatus) *qui repertus in rure, ab aratro arcessitus ad fasces, sumpto honore instructoque exercitu, mox victor effectus, iugum boum Aequis inposuit victoriamque quasi stivam tenens subiugatos hostes prae se primus egit.*

Iordanis[4]): *medium erat tempus forte sementis, cum patricium virum* (Quinctium Cincinnatum) *innixum aratro suo lictor in ipso opere depraehendit. inde in aciem profectus, ne quid a rustici operis imitatione cessaret, pecodum more sub iugum misit expeditioneque finita rediit ad bobes rursus triumphalis agricola.*

---

1) 1, 11, 12/13.
2) de bello Parthico p. 220 N.
3) 2, 12, 8.
4) Rom. 127.

Quid sequitur? ut nonnulli scriptores, qui omnes p. Chr. n. erant, Quinctium Cincinnatum quasi iugi inventorem celebrent, qui forte ab aratro arcessitus hostibus devictis iugum boum imposuerit, ne quid a rustici operis imitatione cessaret. Haec narratiuncula de dictatore illo rustico quin ficta sit, dubium non est.

Iugum cervicibus demissis equorum et boum imponi solebat. Quae imago vel tauri cervicem sub iugum mittentis praebet speciem ferocitatis fractae, unde verbo iugi iniecta est vis castigationis et humilitatis. Ita Graeci — quibus iugum ignominiosum erat ignotum — servitutem appellant: δούλιον ζυγόν [1]), Romani *iugum servile* [2]). Hoc modo iugum fiebat symbolum humilitatis et servitutis. Atque ut beluis domitis, ita hosti devicto iugum imponebatur: summa sane ignominia. Quod cum sciamus iugum Romanorum fuisse symbolum humilitatis receptum a cotidiano usu agricolae facile intellegimus Romanos iugo esse usos etiam inter expiationes et lustrationes.

Hostis devictus, cum sub iugum mitteretur, se submittebat victori, ut homo deo. Hos duos iugi usus per se diversos commemorat Dionysius Hal., ubi agitur de Horatio, uno ex trigeminis, expiando. Tullum Hostilium regem narrat accersitis pontificibus iussisse deos et genios placari et lustrari hominum lustrationibus, quibus solerent caedes non voluntariae expiari. Illos vero duas aras erexisse, alteram Iunoni, cui sororum cura esset, alteram deo cuidam indigenae sive genio, qui Ianus vocaretur, cuius nomen Curiatii consobrini ab Horatio interfecti ferrent, et supra illas sacris quibusdam factis cum aliis expiationibus eos esse usos, tum vero Horatium sub iugum misisse. Romanis autem morem fuisse, ut, quotiens hostes traditis armis .deditionem fecissent, duas hastas rectas humi defigerent et tertiam supra illas transversam

---

[1]) Herod. 7, 8, 3; Aesch. Pers. 50.

[2]) inde Germanorum: Joch, unterjochen.

accommodarent, deinde captivos sub illas mitterent, transmissos in patriam liberos dimitterent. Hoc ab illis iugum vocari, quod etiam postremo inter ceteras expiationes legitimas adhibuisse eos, qui tunc iuvenem lustrassent[1]).

Tribus hastis iugum fiebat humi fixis duabus superque eas transversa una deligata[2]). Festus[3]) *sub iugum mitti dicunt† hostes victi, ereptis omnibus armis telisque, cum astis† defixis duabus in terra, tertiaque ad summum earum deligata, speciei ani† .. bentur subeuntes transire.*

Pauli excerpta[4]): *sub iugum mitti dicuntur hostes, cum duabus hastis in terra defixis tertiaque super ligata inermes sub eas coguntur transire.* Zonaras[5]): ἡ δὲ πρᾶξις ἡ τοῦ ζυγοῦ τοιάδε τις ἦν· σταυροὺς δύο, ὄρθια δηλαδὴ ξύλα διέχοντα ἀλλήλων, εἰς τὴν γῆν κατεπήγνυον καὶ αὐτοῖς ἐπετίθουν ἐγκάρσιον ἕτερον, καὶ διὰ μέσου τούτων τοὺς ἁλόντας διῆγον γυμνούς.

Exercitum sub iugum mitti non licebat nisi per pactionem[6]). Quam fieri oportebat, priusquam exercitus sub iugum mitteretur. Nam accepimus semel consuli honorem triumphi a senatu esse negatum, quod captivos sine pactione sub iugum misisset[7]). Pactione facta obsidibusque datis[8]) exercitui captivo deponenda erant arma[9]) copiaeque omnium rerum erant tradendae[10]). Semel invenio consulem Romanum etiam postulasse, ut imperator hostium dederetur,

---

1) Dion. Hal. 3, 22.

2) Liv. 3, 28, 11. Appian. Samn. 4, 6: δυσὶ δόρασιν ἐς τὴν γῆν ἐμπεπηγόσιν ἐπικάρσιον ἄλλο ἐπιθείς. cf. Dion. Hal. 3, 21.

3) p. 305 M.

4) p. 304 M.

5) 7, 17.

6) Liv. 9, 5, 5; 9, 42, 7.

7) Liv. 10, 36, 19.

8) Liv. 9, 5, 12.

9) Liv. 3, 29, 1; 4, 10, 3/4; 4, 10, 7; 9, 5, 5; 9, 4, 3; 9, 5, 12; 10, 36, 14; 25, 6, 10; 25, 6, 12; Flor. 1, 16, 11; Oros. 3, 15, 6; Iordan. Rom. 145; Appian. Samn. 4, 4; Dion. Hal. 3, 21; 10, 24; Fest. p. 305 M; Zon. 7, 17; 7, 26

10) Appian. Samn. 4, 4; Zon. 7, 26.

deditumque esse imperatorem [1]. Captivi singulis cum vestimentis sub iugum dimittebantur [2]. Atque haud magnam fidem audeo habere testimonio illi Orosiano [3], quo proditur contra Livium testem Romanos ad Caudinas furculas esse nudatos vestimentis *tantum singulis vilioribus operimentis ob verecunda corporum tegenda concessis*, quamquam etiam Valerium Maximum [4] haud ignoro scripsisse exercitum Romanum non inermem tantum, sed etiam nudum Campanorum urbem intrasse. Sarcinae et iumenta et multitudo omnis imbellis relinquebantur [5]. Velut imaginem ignominiae illius, quam praebebat iugum, pinxit Livius, cum describeret iugum Caudinum, sub quod Romani a Samnitibus mittebantur [6]. *alii alios intueri, contemplari arma mox tradenda et inermes futuras dextras obnoxiaque corpora hosti. Proponere sibimet ipsi ante oculos iugum hostile et ludibria victoris et vultus superbos et per armatos inermium iter, inde foede agminis miserabilem viam per sociorum urbes, reditum in patriam ad parentes, quo saepe ipsi maioresque eorum triumphantes venissent. Se solos sine vulnere, sine ferro, sine acie victos; sibi non stringere licuisse gladios, non manum cum hoste conferre; sibi nequiquam animos datos. Haec frementibus hora fatalis ignominiae advenit, omnia tristiora experiundo factura, quam quae praeceperant animis.* Etiam singula, quae, cum exercitus sub iugum mittebatur, videntur usitata fuisse, describuntur [7]. *Iam primum cum singulis vestimentis inermes extra vallum exire iussi, et primi traditi obsides atque in custodiam abducti. Tum a consulibus abire lictores iussi paludamentaque detracta; tantam id inter ipsos, qui paulo ante eos exsecrantes*

---

[1]) Liv. 4, 10, 3.

[2]) Liv. 4, 10, 4; 9, 4, 3; 9, 5, 12; 9, 15, 5; 9, 42, 7; Appian. Samn. 4, 4; Zon. 7, 26.

[3]) 3, 15, 4/6. — [4]) 5, 1 ext. 5.

[5]) Liv. 9, 15, 5. — [6]) Liv. 9, 5, 8–11.

[7]) Liv. 9, 5, 12–14.

dedendos lacerandosque censuerant, miserationem fecit, ut suae quisque condicionis oblitus ab illa deformatione tantae maiestatis velut ab nefando spectaculo averteret oculos[1]). *Primi consules prope seminudi sub iugum missi, tum ut quisque gradu proximus erat, ita ignominiae obiectus, tum deinceps singulae legiones; circumstabant armati hostes exprobrantes eludentesque; gladii etiam plerisque intentati et vulnerati quidam necatique, si vultus eorum indignitate rerum acrior victorem offendisset.* Quae si vera essent, Samnites180 ferociter violabant pactionem antea initam. Nam ut vitae inermis militis, qui sub iugum mittebatur, parceretur, prima erat huius tam ignominiosi usus condicio[2]). Sed Campani exercitum Romanorum cum consulibus sub iugum missum venerabiliter exceperunt protinusque consulibus insignia honoris, militibus vestem, arma, equos, commeatum benignissime praestando et inopiam et deformitatem Romanae cladis mutarunt[3]). Semel pactionem initam esse invenio, ut victores prosequerentur in itinere victos, ne violarentur[4]). Quin etiam Pontius ille, Samnitum dux, Romanis sub iugum missis fertur concessisse vehicula atque viaticum[5]).

Romani ipsi antiquissimis tantum temporibus, ut iam supra demonstravi[6]), utebantur iugo. Postea remanebat consuetudo, — quae vigebat inprimis bello Punico secundo, — ut pactione facta[7]) armis traditis[8]) abire cum singulis vesti-

[1]) Liv. 9, 6, 1.

[2]) Liv. 21, 13, 7; cf. 24, 47, 10; 32, 34, 7; Dion. Hal. 10, 24; Zon. 7, 26.

[3]) Valer. Max. 5, 1, ext. 5. — [4]) Liv. 36, 33, 6.

[5]) Appian. Samn. 4, 6: *καί τινα ὑποζύγια ἔδωκεν αὐτοῖς ἐς τοὺς ἀῤῥωστοῦντας, καὶ τροφήν, ἄχρι τῆς Ῥώμης φέρεσθαι,* — [6]) p. 37/38.

[7]) Liv. 21, 61, 11; 22, 6, 11; 22, 52, 3; 23, 15, 3; 24, 74, 10; 31, 45, 6; 34, 29, 13; 35, 51, 8; 37, 32, 10; Oros. 7, 31, 1/2; Appian. Ib. 31; Samn. 7; Lib. 15; 63; 101; Cass. Dio. frg. 15, 57, 30; Ioseph. b. Iud. 2, 17, 10; 7, 6, 4; Polyb. frg. 22, 12, 15; Plut. Mar. 23, 6; Zon. 8, 6; 9, 2.

[8]) Liv. 21, 13, 6; 22, 6, 11; 22, 52, 3; 23, 15, 3; 32, 24, 7; 38, 9, 1; Oros. 5, 18, 26; Appian. Ib. 31; Diod. frg. 30, 4; Ioseph. b. I. 2, 17, 10; Zon. 8, 6.

mentis[1]) liceret[2]). Τοῦτο γὰρ καὶ τοῖς πολεμίοις ἔθος ἐστὶ συγχωρεῖσθαι κατὰ τοὺς κοινοὺς τῶν ἀνθρώπων νόμους[3]). Cuicumque sine fraude abire concessum est, eum violare atque adoriri nefas erat. Hannibal postulavit, cum post pugnam Cannensem castra minora Romanorum oppugnaret, ut certa pecuniae copia in caput uniuscuiusque persolveretur[4]). Etiam dux vel duces per pactionem deposcebantur[5]). Quin etiam, cum Saguntum obsideret, Hannibal aurum et argentum omne publicum privatumque ad se deferri iussit atque, ut ibi habitarent, poposcit, ubi ipse vellet[6]). Interdum obsessi petiverunt, ut spatium ad deliberandum daretur, priusquam pactionem inirent[7]). Etiam certa pecuniae summa multae loco pacti oppidani dedere sese poterant[8]). Nonnumquam pactio inter victorem ac victum non conveniebat[9]). Perfugae et fugitivi non fruebantur pactionis securitate[10]). Sed duces non solum exterarum nationum, sed etiam Romanorum pactiones turpiter neglexerunt atque impetum fecerunt in inermes[11]). Huc pertinet testimonium illud Appiani: οἱ μὲν ἄλλοι χιλίαρχοι σπενδόμενοι καὶ μεθιέντες ἐπετίθεντο ἀπιοῦσιν, ὁ δὲ Σκιπίων ἐς τὰ οἴκοι παρέπεμπε καὶ ἀπὸ τοῦδε οὐ πρὶν ἢ Σκιπίωνα ἀφικέσθαι συνετίθετο οὐδείς[12]). Sed tamen Scipioni ipsi acci-

---

1) Liv. 21, 12, 5; 22, 6, 11; 22, 52, 3; 23, 15, 3; 31, 45, 6.

2) cf. Appian. Lib. 73: σὺν χιτωνίσκῳ μόνῳ; Cass. Dio. frg. 15, 57, 30: μεθ' ἑνὸς ἱματίου, Plut. Cam. 35, 2: ἐν ἱματίοις μόνον ἀφειμένοι, Polyb. 1, 85, 4: μετὰ χιτῶνος.

3) Polyb. 2, 58, 6.

4) Liv. 22, 52, 3.

5) Appian. Ib. 31; cf. Polyb. 1, 85, 4.

6) cf. Liv. 21, 12, 5; 21, 13, 6.

7) cf. Liv. 37, 32, 10.

8) Liv. 21, 61, 6; Liv. 21, 61, 11.

9) Liv. 31, 17, 3; 37, 12, 2.

10) Appian. Lib. 130.

11) Appian. Hann. 10: Maharbalis sponsio ab Hannibale non probata; Appian. Lib. 63; Cass. Dio. frg. 15, 57, 30; Zon. 9, 2, 11: Hannibal in Nucerinos; Diod. frg. 30, 4: Perseus in Chalestrum oppidum; Ioseph. b. I. 3, 10, 10: Vespasianus in Taricheas urbem. — 12) Lib. 101.

dit, ut milites retinere non posset, quin neci se permitterent. Οἱ μὲν Λοχαῖοι προστιθεμένων τῶν κλιμάκων ἐπεκηρυκεύοντο ἐκλείψειν τὴν πόλιν ὑπόσπονδοι, καὶ ὁ Σκιπίων ἀνεκάλει τῇ σάλπιγγι τὴν στρατιάν. ἡ δ' οὐχ ὑπήκουεν ὑπ' ὀργῆς ὧν ἐπεπόνθεσαν, ἀλλ' ἐπιβάντες τοῖς τείχεσι καὶ γύναια καὶ παιδία κατέσφαττον [1]).

Armatos abire hostes suaque omnia secum ferentes licere quamquam Perseus concesserat praesidio Romano Uscanae urbis, tamen minime, quod pollicitus est, praestitit, sed arma ademit captosque vendidit [2]).

Duobus locis traduntur dediti cum binis vestimentis abisse. Alorcus, pacis interpres, Saguntinis, quae Hannibal postulat, exponit: *Urbem vobis, quam ex magna parte dirutam, captam fere totam habet, adimit, agros relinquit, locum adsignaturus, in quo novum oppidum aedificetis. Aurum et argentum omne, publicum privatumque, ad se iubet deferri: corpora vestra coniugum ac liberorum vestrorum servat inviolata, si inermes cum binis vestimentis velitis ab Sagunto exire* [3]). Sed paulo supra [4]) postulasse Hannibalem Livius commemorat, ut cum singulis vestimentis abirent. Neque intellegi potest, cur Alorcus, qui nihil grave ab iis, quae Hannibal postulaverat, desumit aut silentio praeterit, rem tam exiguam remittat, praesertim cum ei nulla fuerit potestas. Itaque librarios in errorem incidisse verisimillimum est, nisi Livius voluit artificium orationi intexere nondum perspectum. Sed Nucerinis re vera Hannibal duobus cum vestimentis ut abirent, videtur permisisse: quod promiserat, tamen foedissime non servavit [5]).

Adnotare iuvat, quanta sanctitate Germani et Persae, quos Romani barbaros appellare consueverant, fidem datam servaverint [6]).

1) Appian. Lib. 15. — 2) Liv. 43, 19, 2. — 3) Liv. 21, 13, 6/7. 4) 21, 12, 5. — 5) Appian. Lib. 63. — 6) Plut. Mar. 23, 6; Oros. 7, 31, 1/2.

II.

Descripturo mihi, quaenam fuerit condicio captivorum Romanorum in potestate hostium bello confecto, praefari licet certam regulam, ad quam condicio omnium captivorum dirigatur, inveniri non posse. Quo fit, ut nonnumquam a saevitia victoris abhorreamus, haud raro clementiam admiremur. Sed clementia quoque saepius est nata non tam ex humanitatis vel misericordiae, quam commodi et gloriae ratione. Mithridates, saevissimus ille rex, omnes captivos benigne tractatos quondam domum dimisit cum viatico, ut apud hostes pararet sibi opinionem clementiae[1]). Valent enim etiamnunc illa verba Pontii patris: ἓν ἔστιν, ὦ παῖ, μεγάλης ἔχθρας φάρμακον, εὐεργεσίας ἢ κολάσεως ὑπερβολή. αἱ μὲν οὖν κολάσεις καταπλήσσουσιν, αἱ δὲ εὐεργεσίαι προσάγονται[2]). Semel accepimus[3]) Latinos liberaliter esse habitos cultosque in calamitate sua. At Samnites in captivorum corpora militum foede saevisse dicuntur[4]). Etiam Praenestinos ferunt foede in captis exercuisse victoriam[5]). Perraro Italici inter se dimicantes memores erant cognationis[6]). At T. Lartius Sabinorum captivos ex vulneribus refectos et ceteris humanitatis officiis sibi devinctos remisit[7]). Summa clementia esse usum C. Iulium Caesarem in cives

---

[1]) Appian. Mithr. 19. — [2]) Appian. Samn. 4, 3. — [3]) Liv. 2, 22, 7. — [4]) Liv. 9, 43, 1. — [5]) Liv. 6, 22, 4. — [6]) cf. Diod. frg. 26, 17. — [7]) Dion. Hal. 5, 76.

captos inter omnes constat[1]). Octavianus captivos Antonii exercitus post pugnam apud Mutinam commissam tam duces quam milites, quos sibi conciliaret, comiter habuit[2]), sed victoria ad Philippos reportata in splendidissimum quemque captivum non sine verborum contumelia saeviit[3]) atque Perusia ad deditionem coacta orare veniam vel excusare se conantibus dicitur una voce occurrisse: *moriendum esse*[4]). Vespasianus Antiocho, Commagenae regi capto, iussit vincula auferri iter agenti intermissaque Romam profectione eum in praesens apud Lacedaemonem degere. Etiam magnos pecuniae reditus ei dedit, ut victus non modo largus suppeditaretur, sed etiam regius[5]). Neque minus Iosephum Iudaeum, rerum scriptorem, habuit summo in honore eique latifundium in Iudaea situm dono dedit[6]). Inter ceteros Caesares clementia in captos florebat Marcus Aurelius Antoninus. *Aequitatem autem etiam circa captos hostes custodivit*[7]).

Romani ipsi saepius in manus crudelissimorum inciderunt hostium. Quaedam nunc proferemus, alia mox enarrabimus, cum agemus de captorum cruciatibus et suppliciis. Vix verbis mandari potest, quanta foeditate Thraces (a. 114 a. Chr.) usi sint in captivos. Litasse eos dis, narrat Florus[8]), sanguine humano, bibisse in ossibus capitum, cuiusque modi ludibriis foedasse mortem tam igni quam fumo, partus quoque gravidarum mulierum extorsisse tormentis. Etiam Germani exercitu Quinctili Vari deleto (a. 9 p. Chr.) in captivos saevisse dicuntur[9]). Quae cum legamus, sane clementes iudicare debemus piratas, qui Caesarem adulescentem cap-

---

[1]) Cass. Dio. 44, 45, 3; 44, 46; Cic. pro Marc. 12; Sueton. Caes. 75; b. Afr. 92; Caes. b. c. 1, 23; 1, 77; 2, 22; Appian. b. c. 2, 100; 4, 8; 4, 134.

[2]) Appian. b. c. 3, 80. — [3]) Sueton. Aug. 13. — [4]) Sueton. Aug. 15; cf. Cass. Dio. 51, 2, 4; 51, 16, 1. — [5]) Ioseph. b. I. 7, 7, 3. — [6]) Ios. vit. 76. — [7]) Capitol. Ant. Phil. 24. — [8]) 3, 4, 2. — [9]) Vell. Paterc. 2, 120, 6.

tum et nocte et die custodiebant. Neque permittebant, ut excalcearetur aut discingeretur, ne si quando aliquid ex solito variaret, suspectus iis, qui oculis tantummodo eum custodiebant, foret[1]). Hierosolymis captis ex inedia dicuntur perisse undecim milia captivorum, partim ex custodum in illos odio nihil habentes, quod comederent, partim, quod datum erat, accipere recusantes[2]). Sapores, rex Persarum, multitudini captivorum non plus cibi dedit quam quantum ad tuendam vitam satis esset[3]). Etiam Valentinianus, qui senex in eius potestatem venerat, ignominiose a Sapore tractabatur[4]).

Sed operae pretium est etiam ea colligere testimonia veterum, quibus demonstretur, quanta clementia gravissimi Romanorum hostes tractaverint captivos. Inprimis Pyrrhus, Epirotarum rex, bello captos indulgenter habuisse[5]) atque in hospitum numero duxisse dicitur[6]). Neque minus Hannibal, quem Livius inhumana crudelitate[7]) fuisse contendit, summa usus est indulgentia in captivos omnis Italici nominis praeter Romanos ipsos. Hoc testatur idem Livius[8]); sed mitem illum eo animo se praestitisse addit, ut fama clementiae in principio rerum colligeretur[9]). Nuceriam cum (a. 216 a. Chr.) Hannibal in deditionem accepisset, *praemia atque honores, qui remanserint ac militare secum voluissent, proposuit*[10]). Quin etiam Polybius, *haud spernendus auctor,* Hannibalem socios Romanorum ad Trebiam captos habuisse ἐν τῇ πάσῃ φιλανθρωπίᾳ[11]) gloriatur neque conclamat una cum ceteris ferocissimum fuisse animo Poenum. Τινὲς μὲν γὰρ ὠμὸν αὐτὸν οἴονται γεγονέναι καθ' ὑπερβολήν[12]). Ne eum quidem fugit

---

1) Vell. Paterc. 2, 41, 3. — 2) Ioseph. b. I. 6, 9, 2. — 3) Zon. 12, 23. — 4) Zon. 12, 23. — 5) Flor. 1, 18, 15; Eutrop. 2, 11, 3; Iordan. Rom. 157. — 6) Liv. 22, 59, 13. — 7) Liv. 21, 4, 9. — 8) Liv. 23, 15, 4; 23, 43, 11. — 9) Liv. 21, 48, 10. — 10) Liv. 23, 15, 4. — 11) Pol. 3, 77, 4. — 12) Polyb. 9, 22, 8.

etiam ad gravia et saeva Hannibalem recessisse, quae tamen magis casibus ac temporibus attribuit quam Hannibali ipsi[1]). Ἐξ ὧν καὶ λίαν δυσχερές, ἀποφήνασθαι περὶ τῆς Ἀννίβου φύσεως, διά τε τὴν τῶν φίλων παράθεσιν, καὶ τὴν τῶν πραγμάτων περίστασιν. Κρατεῖ γε μὴν ἡ φήμη παρὰ μὲν Καρχηδονίοις ὡς φιλαργύρου, παρὰ δὲ Ῥωμαίοις ὡς ὠμοῦ γενομένου αὐτοῦ[2]). Plane alia natura videtur fuisse Hasdrubal, cui Scipio Africanus minor opprobrio vertebat: ἀσέβειαν εἰς τοὺς αἰχμαλώτους[3]). Magna indulgentia Philippum Macedonem usum esse in captivos Livius memoriae prodit[4]), *ut per eos conciliaret gentem.* Denique silentio transire non possum Antiochum, cuius in potestatem venit Scipionis filius: *Illud satis constat,* ut Livianis verbis utar[5]), *si pax cum populo Romano maneret hospitiumque privatim regi cum Scipionibus esset, neque liberalius neque benignius haberi colique adulescentem, quam cultus est, potuisse.*

Ex iis, quae iam praefatus sum, satis elucet certam regulam inveniri non posse. Sed tantam copiam testimoniorum libri auctorum veterum nobis servarunt, ut hoc quidem colligere possemus, quae qualisque condicio captivorum Romanorum in potestate hostium esse soleret.

Antiquissimis temporibus quo iure belli usi sint Romani in captivos, difficillimum est diiudicatu, quod iis libris, quibus agitur de *infantia populi Romani*[6]) magnam fidem habere non audemus. Accedit, quod ubique periculum est, ne auctores iura, leges, mores, instituta suae quisque aetatis transtulerint in tempora antiquiora. Sed tamen hoc unum semper mihi solacio erit talia in populo unoquoque solere inveterascere neque intra satis brevia temporis spatia mutari. Itaque spes nobis non adimitur pingendae imaginis quamvis adumbratae, tamen non falsae temporum antiqui-

---

1) cf. Polyb. frg. 9, 24, 8. — 2) Polyb. 9, 26, 10. — 3) Polyb. frg. 39, 2, 1. — 4) Liv. 36, 14, 7. — 5) Liv. 37, 34, 7. — 6) Flor. 1, 1, 5.

orum. Sed in hac imagine, quae primo sunt incerta, certa fiunt, ubi magnis illis bellis cum externis nationibus gestis appropinquavimus.

Italicos haud secus ac Graecos antiquissimis temporibus immolasse homines nemo negare audebit. Quin etiam apud omnes populos hae tam cruentae immolationes in principio rerum adeo erant usitatae, ut, si testimonia, quibus Romanos quoque esse secutos hanc consuetudinem demonstraretur, deessent, hoc conicere nobis liceret [1]). Per ea quoque temporum spatia, in quibus accuratius certiusque versamur, interdum, rectius dicam raro, summo quidem discrimine belli Punici secundi recesserunt Romani ad immanitatem barbararum gentium. Itaque a. 216 a. Chr. sacrificia aliquot extraordinaria facta esse legimus: *inter quae Gallus et Galla, Graecus et Graeca in foro boario sub terra vivi demissi sunt in locum saxo consaeptum, iam ante hostiis humanis, minime Romano sacro, inbutum* [2]). Addam Plinii testimonium [3]): *boario vero in foro Graecum Graecamque defossos aut aliarum gentium, cum quibus tum res esset, etiam nostra aetas vidit.* Iam decem annis ante pugnam Cannensem timore permoti incursionis Gallorum usi iisdem sacrificiis sunt. Oraculi iussu Sibyllini coactos esse eos Plutarchus tradit duos Graecos, virum et mulierem itemque duos Gallos in foro boario vivos defodere [4]). De eadem re agunt Orosius [5]), Zonaras [6]), Ttetzes [7]).

Tarquinienses trecentos septem milites Romanos captos immolasse dicuntur. Sed Livius sibi temperare non potuit, quin id genus supplicii nominaret: *foeditatem* [8]). Spartacus ille mactatis trecentis captivis Romani nominis parentavit Crixi manibus [9]).

Sed quamquam a. 97. a. Chr. senatus consultum factum erat, ne fierent hominum immolationes, tamen remanebat

---

1) cf. Leist. p. 257; 263. — 2) Liv. 22, 57, 6. — 3) nat. hist. 28, 12. — 4) Plut. Marc. 3, 4. — 5) 4, 13, 3. — 6) 8, 19, 9. — 7) in Lycophr. 603. — 8) Liv. 7, 15, 10. — 9) Appian. b. c. 1, 117.

singillatim hic usus[1]. Cassius Dio post Caesaris triumphum quosdam sub sacrificii ritu iugulatos esse narrat. Neque constare addit, qua de causa id factum sit; neque enim Sibylla hoc praeceperat nec aliud in hanc sententiam oraculum exstabat: tamen in campo Martio a pontificibus et flamine Martiali immolati sunt et capita eorum prope Regiam Martis fuerunt proposita[2].

Praeterea scribunt quidam Perusia capta trecentos ex dediticiis electos utriusque ordinis ad aram Divo Iulio exstructam Idibus Martiis hostiarum more esse mactatos[3]. Sed auctores hac in re minime consentiunt atque famam esse pervagatam caute addunt.

Haec sacrificia videri extraordinaria et perraro Romanos esse usos humanis hostiis neminem fugit. Aliter res se habet, si oculos animosque vertimus ad populos feros barbarosque, quibuscum Romanis decertandum erat. Multo saepius invenimus Romanorum milites crudeliter mactatos disque immolatos esse ab hostibus vere ferocibus. *Quam multi,* inquit Cicero, *ut Tauri in Axino, ut rex Aegypti Busiris, ut Galli, ut Poeni homines immolare et pium et diis immortalibus gratissimum esse duxerunt*[4]! *Carthaginiensibus aliquando visum est homines immolare, sed male praesumpta persuasio brevi praetermissa est*[5]. Quin etiam Poeni quondam retineri non potuerunt, si quidem Iustino fidem habemus, quin impuberes, quae aetas etiam hostium misericordiam provocaret, aris admoverent, pacem deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita dii rogari maxime solent[6]. Mercennarii Carthaginiensium praeter ceteros florebant saevitia atque immanitate[7]. Neque a Scythis alienum erat homines mactare[8]. Haud secus

[1]) Plin. 30, 12. — [2]) Cass. Dio. 43, 24, 4. — [3]) Sueton. Aug. 15; Cass. Dio. 48, 14, 4. — [4]) Cic. de rep. 3, 15. — [5]) Oros. 4, 21, 8. — [6]) Iustin. epit. 18, 6, 12. — [7]) Polyb. 1, 88, 7: ὧν ἡμεῖς ἴσμεν, ἀκοῇ μαθόντες, πολύ τι τοὺς ἄλλους ὠμότητι καὶ παρανομίᾳ διενηνοχότα. — [8]) Appian. Mithr. 102.

Graecogalli animalia bello capta una cum hominibus trucidaverunt aut combusserunt aut alio supplicii genere sustulerunt[1]). Apud Gallos ipsos usitatas fuisse hominum immolationes testis est Caesar[2]). Pulcherrimum quemque captivorum et aetate florentissimum coronis vinctum dis immolasse eos narrat neque sine aceto addit Diodorus: εἴ γέ τις τῶν θεῶν δέχεται τὰς τοιαύτας τιμάς[3]). Thraces dis litasse dicuntur sanguine humano, bibisse in ossibus capitum, cuiusque modi ludibriis foedavisse mortem tam igni quam fumo, partus quoque gravidarum mulierum extorsisse tormentis[4]). Etiam Germani hostes captos dis immolaverunt[5]). Britannis in captos nihil tam dirum fuit, quin statueretur. Id vero erat crudelissimum atque immanissimum, quod feminas nobilissimas et honestissimas nudas suspendebant excisasque mammas earum ad ora ipsarum adsuebant, ut comedere viderentur; ipsasque deinde mulieres palis praeacutis per totum corpus secundum longitudinem transfigebant. Et faciebant haec omnia rem sacram agentes (θύοντές τε ἅμα) et epulantes et petulanter se gerentes cum aliis in templis, tum in Andrastae luco: sic enim Victoriam appellabant, quam colebant studio maximo[6]). Britannos Tacitus memoriae prodidit cruore captivorum adolere aras et hominum fibris consulere deos fas habuisse[7]). Qui vocantur Bucoli milites centurionem Romanum interfecerunt: τὸν συνόντα αὐτῷ καταθύσαντες ἐπί τε τῶν σπλάγχνων αὐτοῦ συνώμοσαν καὶ ἐκεῖνα κατέφαγον[8]).

Apud Romanos igitur immolationes captivorum erant singulares minimeque usitatae.

Iam facile est intellectu prudentiae Romanorum, non insitae humanitatis fuisse, cum exigua atque haud satis

[1]) Diod. 5, 32, 6; cf. Liv. 38, 47, 12. — [2]) b. G. 6, 16. — [3]) Diod. frg. 31, 13. — [4]) Flor. 3, 4, 2. — [5]) cf. Caes. b. G. 1, 53, 6; Tacit. ann. 1, 61; 13, 57. Oros. 7, 37, 5. — [6]) Cass. Dio. 62, 7, 2. — [7]) ann. 14, 30. — [8]) Cass. Dio. 71, 4.

munita res publica contra finitimos sine dubio multo potentiores pugnaret, eos non saevisse in hostes superatos, sed quam maxime eis pepercisse atque societate secum coniunxisse [1]).

Inprimis Latini benigne tractati sunt a Romanis. Quin etiam cum multi Latini, quamquam societate violata a Romanis defecerant atque res Tarquiniorum adiuverant, pugna apud lacum Regillum commissa in potestatem Romanorum venissent, hi irae obliti non modo captivos benigne tractaverunt, sed etiam postea domum remiserunt [2]). Atque quam familiariter domini usi sint captivis, luculentissime demonstratur his Livi verbis [3]): Latini *pergunt domos eorum, apud quem quisque servierant, gratias agunt liberaliter habiti cultique in calamitate sua; inde hospitia iungunt.*

Mutabatur haec ratio belli gerendi eo tempore, quo nemo finitimorum par erat populo Romano neque quisquam principatum, quin haberent Romani, dubitare audebat. Haec est aetas quasi crescentis crudelitatis, qua civitates Italiae sub Romanorum potestatem redigebantur. Nescio, an unquam in bellis cum exteris nationibus gestis tanta apparuerit crudelitas saevitiaque, quantam usitatam videmus in gentes Italiae subigendas. Sed hoc unum silentio non transeundum esse puto Romanis bellandum fuisse cum hostibus, qui saepius atque iterum deficiebant, qui semper urbi ipsi perniciem minitabantur, qui, cum discordia inter patres et plebem saeviente tribuni plebis, nisi honores quosdam patres concederent plebeis, dilectum haberi vetarent, salutem rei publicae in summum vocabant discrimen. Tamen laudi tribuendum est Romanis, quod etiam his tempestatibus non saevire solebant in multitudinem innoxiam, sed eo crudelius iure quidem animadverterent in *auctores seditionum vel defectionum* aut *ruptores indutiarum vel foederum.* Itaque Romani, cum noxio

[1]) cf. Cic. off. 1, 35; de rep. 2, 13; Plut. Rom. 20; Liv. 1, 30, 2; 1, 11, 2; 1, 33, 5; 8, 3, 16; Dion. Hal. 2, 55; 6, 19; Zon. 7, 3; 7, 6. — [2]) Liv. 2, 22, 5. — [3]) 2, 22, 7.

tantum paucorum sanguine, non innoxio multitudinis opus esse ad bellum expiandum putarent[1]), consuetudo erat, ut deditio belli auctoris vel auctorum postularetur[2]). Quin etiam ossa noxii dedebantur[3]). Clarissima ducum traditorum exempla breviter afferam. Quanto studio Romani id egerint, ut H a n n i b a l traderetur vivusque in potestatem veniret, quis est, qui nesciat? Iam Saguntum urbem oppugnantem legatione in Africam missa Romani deposcebant, quod ruptor foederis esset[4]). Hannibal, si traderetur, hoc manifestum fore dicebant: ὡς οὐ μετεσχήκασι τῆς ἀδικίας, ἀλλ' ἄνευ τῆς αὐτῶν γνώμης πεπρᾶχθαι τοῦτο τοὔργον[5]). Poeno apud Zamam devicto Scipionem ante omnia postulasse Livius narrat, ut Hannibal sibi traderetur[6]). Sed Livius hoc pro certo non audet statuere, sed caute addit illud: *sunt, qui tradant.* Quinam hoc tradiderint, in dubio relinquit. At Plutarchus depugnat verbis haud dubiis Livii testimonium. In senatu de Hannibalis morte certiore facto haud paucis importunum dicit Quinctium Flamininum esse visum nimisque curiosum et crudelem, qui velut avem prae senio iam facultate volandi privatam atque cauda truncatam, cui cicuris vita esset permissa, Hannibalem interfecisset nulla urgente necessitate, sed ut nomen sibi ex caede eius compararet: tanto magis Scipionis Africani clementiam et animum honestum eos admiratos esse, qui invictum et terribilem in Africa, cum proelio vicisset, neque expulisset

---

[1]) cf. Liv. 8, 39, 11—15.

[2]) Polyb. frg. 20, 10, 5; 24, 12, 7; Liv. 8, 39, 11—15; 31, 11, 6; 33, 29, 12: noxios; 38, 33, 2: auctores defectionis.; Flor. 2, 14, 5; Oros. 6, 11, 11: auctorem magni sceleris; Appian. Ib. 31; 94; Mithr. 20; Samn.: 7 ἐκδοῦναι τοὺς αἰτίους τῆς παρανομίας; Sic. 6; Caes. b. G. 4, 16, 3; 7, 89, 3; 8, 38, 3: principem sceleris illius et concitatorem belli; Diod. 19, 76, 5: τοὺς γὰρ αἰτίους τῆς ταραχῆς. Dion. Hal. 10, 24; Tacit. ann. 12, 20; Vell. Paterc. 2, 106, 1; 2, 114, 4; Cass. Dio. frg. 12, 49, 5; 30—35, 111; 68, 11; Zon. 7, 4; 8, 19.

[3]) Cass. Dio. frg. 8, 36, 8. — [4]) Appian. Ib. 13; Polyb. 3, 8, 8; 3, 20, 8. — [5]) Polyb. 3, 21, 7. — [6]) Liv. 30, 37, 13.

neque, ut sibi dederetur a civibus, poposcisset[1]). Sed quomodocumque res se habet, dubium non esse potest, quin Romani Hannibalem fugientem vivum capere summa vi sint conati. Qua in re omnes auctores conspirant. Primum Antiochum, Syriae regem, apud Magnesiam devictum admonebant Romani, ut ante omnia Hannibalem, si potestatem haberet, traderet[2]). Sed Antiochus tantum scelus dubitavit committere atque Hannibali contigit, ut profugeret ad Prusiam, Bithyniae regem. Ab eo quoque Romani deditionem eius postulaverunt[3]). Iugurtham regem callidissimum naturaeque hostium gnarissimum Romani omni modo temptarunt vivum capere. Tandem Bocchus inveniebatur, qui Iugurtham in hostium manus traderet[4]). Mithridatem regem Lucullus Romanis deposcebat[5]).

Quod cum Romani postulabant, sibi fingebant uno vel paucis ad supplicium traditis exsecrationes in sontem tantum vertendo totum populum posse absolvi dirimique a culpa. Hoc modo intellegi facile potest, cur Romani ipsorum duces, cum turpe foedus iniussu populi icissent aut violationem gentium iuris commisissent, ultro tradendos esse hostibus censuerint. Itaque ii duces, qui cum Samnitibus turpe foedus, ut dimitterentur, apud Caudinas furculas pepigerant, una cum iis, qui in feriendo adfuerunt, ut quaestoribus et tribunis militum nudi hostibus dediti sunt periuriumque in eos et violatio conventorum derivata est[6]).

---

1) Plut. Flamin. 21, 1, 2.

2) Polyb. frg. 21, 14, 7; 22, 26, 11; Liv. 37, 45, 17; Eutrop. 4, 4, 3; Diod. frg. 29, 10; Zon. 9, 20, 11.

3) Liv. 39, 51, 2—5; Eutrop. 4, 5, 2; Oros. 4, 20, 29; Iustin. ep. 32, 4, 8; Corn. Nep. Hann. 12, 2; Plut. Flamin. 20, 5.

4) Sall. Iug. 105—113; Liv. per. 66; Flor. 1, 36; Eutrop. 4, 27; Oros. 5, 15; de vir. ill. 75, 2; Diod. frg. 34, 39; Cass. Dio. frg. 26, 89, 6; Plut. Mar. 10, 4; Sull. 3, 3.

5) Plut. Luc. 19, 1; 21, 7.

6) Plut. Tib. Grach. 7, 2; Appian. Ib. 83; Cic. off. 3, 109; Flor. 1, 16, 12: turpitudinem foederis dirimunt; Liv. per. 9.

Livius et verba fetialis servavit: *ubi in coetum Samnitium et ad tribunal ventum Pontii est, A. Cornelius Arvina fetialis ita verba fecit: quandoque hisque homines iniussu populi Romani Quiritium foedus ictum iri spoponderunt atque ob eam rem noxam nocuerunt, ob eam rem, quo populus Romanus scelere inpio sit solutus, hosce homines vobis dedo*[1]). Sed hanc deditionem Pontius non accepit neque Samnites ratam habuerunt[2]) minime contenti deditione paucorum: ἀπῄτουν τοὺς ἁλόντας . . . καὶ ἀπέπεμψαν τοὺς ἐκδοθέντας, εἴτ' οὖν ὅτι οὐκ ἠξίωσάν σφας μηδὲν ἠδικηκότας ἀπολέσαι, ἢ ὅτι τῷ δήμῳ τὴν ἐπιορκίαν προσάψαι ἠθέλησαν καὶ μὴ δι' ὀλίγων ἀνδρῶν κολάσεως τοὺς ἄλλους ἀπολῦσαι[3]).

Eadem ratione senatus foedus a C. Hostilio Mancino cum Numantinis factum cum ignominia dediti imperatoris rescidit[4]) atque in illo, quem auctorem foederis habebant, iniuriam soluti foederis vindicaverunt[5]). Nec Numantini deditionem ducis acceperunt[6]). Itaque Mancinus *nudato corpore manibusque post tergum revinctis ante portas Numantinorum expositus ibique usque in noctem manens, a suis desertus, ab hostibus autem non susceptus lacrimabile utrisque spectaculum praebuit*[7]). Sed Orosius quaesivit: *Mancinusne, rogo, dedendus fuit, qui victi exercitus inpendentem trucidationem praetento umbone pacti foederis dispulit, qui periclitantes patriae vires in meliora tempora reservavit? aut, si displicuit foedus, quod pactum est, cur miles hoc pignore redemptus aut, cum reverteretur, receptus est aut, cum repeteretur, redditus non est? aut, si placuit servati militis qualiscumque provisio, cur Mancinus, qui hoc pepigit, solus deditus fuit*[8])?

C. Iulius Caesar, dum Galliam sub potestatem

---

[1]) Liv. 9, 10, 9. — [2]) Liv. 9, 11, 1. — [3]) Cass. Dio. frg. 8, 36, 19/20; Zon. 7, 26. — [4]) Vell. Paterc. 2, 90, 3.

[5]) Cic. off. 3, 109; Liv. per. 56; Eutrop. 4, 17, 1; de vir. ill. 49, 5; Plut. Tib. Grach. 7, 2; Cass. Dio. frg. 23, 79, 1—3. — [6]) Appian. Ib. 83.

[7]) Oros. 5, 4, 21. — [8]) Oros. 5, 5, 5.

Romanorum redigit, violato legationis iure in Usipetes et Tencteros[1]) quin barbaris traderetur, haud multum afuit. Nam scriptum videmus Catonem sententiam tulisse, cum senatus Caesaris victoriae causa supplicationem decerneret, dedendum eum esse iis, quibus iniuria praeter foedus facta esset, neque hoc piaculo urbem obstringendam[2]).

Sed etiam exterae nationes a Romanis haud raro postulabant noxiorum deditionem. Brennus, ut dederentur, poposcit, qui contra legationis ius pugnae erant intermixti[3]). Quod negatum est a Romanis, quamquam fetiales ipsi facinus esse commissum concesserunt. Parthi Crassum et Cassium vinctos voluerunt deditos[4]). Phrahates *servum suum* Tiridatem et filium remitti sibi voluit[5]). Atque simili ratione Poeni bello confecto hostium duces, ut dederentur, postulaverunt[6]).

Feminas occidere iure belli non licitum fuisse, sed in servitutem esse abstractas, quae publice venumdarentur, iam supra demonstravimus[7]). Quaenam fuerit earum condicio in captivitate, nunc quaeramus. Pervolventibus nobis veterum auctorum libros hoc unum saepissime occurrit, quod mulieribus captis a militibus Romanis vitia offerebantur. Sed tantum abest, ut milites gregarii adeo libidini indulserint in captas, ut duces summo loco nati virginitatem puellarum violaverint. Quam crebro haec facta sint, ex eo optime colligi potest, quod veteres scriptores expressis verbis adnotaverunt, si quis ducum manus vel oculos prohibuit a captis virginibus. Cremona urbe capta (a. 70 p. Chr. n.) *non dignitas, non aetas protegebat, quominus stupra caedibus,*

---

[1]) ὡς ἐναγὲς ἔργον ἐς διαπρεσβευσαμένους ἐργασάμενον Appian. Gall. 18.

[2]) Plut. Cat. min. 51, 1; Caes. 22, 3; Appian. Gall. 18, Sueton. Iul. Caes. 24: qui non Catonem, sed ‚nonnullos' dicit dedendum eum hostibus censuisse.

[3]) Appian. Gall. 3; Plut. Cam. 17, 6. — [4]) Plut. Crass. 29, 1.

[5]) Iustin. epit. 42, 5, 7. — [6]) Polyb. 1, 85, 4. — [7]) p. 20.

caedes stupris miscerentur[1]). Quid Spartaci servos cum caedibus, incendiis, rapinis stuprisque omnia miscuisse commemorem[2]), cum Pleminius legatus Locrensium liberos ac coniuges stuprare veritus non sit[3])? Qui a Valente iussi erant Scythas in fines imperii recipere, nihil aliud egerunt, quam ut elegantis formae mulieres deligerent et pueros formosos ad usum obscoenum venarentur[4]). Proculus ipse gloriatus est centum ex Sarmatia virgines se cepisse atque ex his una nocte decem inisse[5]). At Hannibal tantam fertur habuisse pudicitiam inter tot captivas, *ut in Africa natum quivis negaret*[6]). Eadem laus Scipioni Africano maiori attribuebatur, *qui captivos pueros puellasque praecipuae pulchritudinis barbaris restitueret, ne in conspectum suum quidem passus adduci, ne quid de virginitatis integritate delibasse saltim oculis videretur*[7]). Summa severitate Sertorius in eos animadvertit, qui stuprum virginis commiserant[8]). Pompeio laudi vertitur, quod pellicum Mithridatis nulli corpus miscuit[9]). Unus e Caesaribus propter pudicitiam laudibus celebratur Iulianus[10]).

Addere liceat, quae inveni de captis in matrimonium ductis. De raptis Sabinorum feminis fabula obscurior est, quam ut ex hac parte cognitio rerum possit augeri[11]). Sed haud parvi momenti est historiola de Sophoniba, Syphacis coniuge. Syphax ipse cum uxore a Masinissa, Romanorum tum socio, captus erat. Sophoniba hunc oravit obsecravitque, ne traderetur Romanis. Masinissa, ut erat praeceps in Venerem, amore captus, data dextra in id, quod petebatur, obligandae fidei in regiam concedit. Tum vero reputare secum ipse coepit, quemadmodum

---

[1]) Tacit. hist. 3, 33. — [2]) Oros. 5, 24, 3. — [3]) Liv. 29, 17, 15. — [4]) Zos. 4, 20, 6. — [5]) Flav. Vopisc. Proc. 12. — [6]) Iustin. 32, 4, 11. — [7]) Iordan. Rom. 199; Flor. 2, 6, 40; Front. strat. 2, 10, 5. — [8]) Appian. b. c. 1, 109.

[9]) Plut. Pomp. 36, 2; Zon. 10, 4. — [10]) Ammian. 24, 4, 27.

[11]) Liv. 1, 9; Plut. Rom. 14; Dion. Hal. 2, 30; Eutrop. 1, 2, 2; de vir. ill. 2, 2; Zon. 7, 3; Mal. p. 178 D.; Iordan. Rom. 90.

promissi fidem praestaret. Quod cum expedire non posset, ab amore temerarium atque impudens mutuatur consilium. Nuptias in eum ipsum diem parari repente iussit, ne quid relinqueret integri aut Laelio aut ipsi Scipioni consulendi velut in captivam, quae Masinissae iam nupta foret [1]). Sed sententia Scipionis satis digna est, quae commemoretur, ut nata ex iure belli. *Syphax,* inquit Scipio, *populi Romani auspiciis victus captusque est. Itaque ipse, coniunx, regnum, ager, oppida, homines, qui incolunt, quidquid denique Syphacis fuit, praeda populi Romani est, et regem coniugemque eius, etiamsi non civis Carthaginiensis esset, etiamsi non patrem eius imperatorem hostium videremus, Romam oporteret mitti ac senatus populique Romani de ea iudicium atque arbitrium esse, quae regem socium nobis alienasse atque in arma egisse praecipitem dicatur* [2]). Athaulfum, Alarici propinquum, Placidiam, Theodosii principis filiam, Arcadii et Honorii imperatorum sororem, cepisse atque duxisse uxorem constat [3]).

Romanorum milites captos in captivitate barbaras mulieres in matrimonium duxisse atque hostium consenuisse socerorum in armis queritur Horatius [4]).

Revertamur in aciem. Quicumque pugnans in manus Romanorum venit, ei arma, quod aequum erat, adimebantur [5]). Armis ademptis vinciebantur et humiles et nobiles [6]). Mos erat, ut lacertis restrictis manus post

---

[1]) Liv. 30, 12, 18/20; Diod. frg. 27, 7; Zon. 9, 13. — [2]) Liv. 30, 14, 10.

[3]) Oros. 7, 40, 2; 7, 43, 2; Hydat. chron. Hon. 20; Philost. 12, 4.

[4]) carm. 3, 5, 5/9.

[5]) Polyb. frg. 8, 33, 1; 34, 8, 31; 36, 4, 5; Sall. Iug. 62, 5; Liv. 9, 16, 9/10; 22, 25, 9; Appian. b. c. 1, 94; Hann. 57; Ib. 39; Illyr. 21; Lib. 80; Syr. 42; Diod. frg. 33, 16; Dion. Hal. 2, 34; 3, 40; 3, 49; 3, 50; 6, 91; Ioseph. b. I. 2, 17, 10; 6, 6, 2; Oros. 5, 18, 16; Plut. Cat. min. 58, 2; Cass. Dio. frg. 26, 89, 1; 60, 21, 5; 68, 11; 72, 2; Zon. 8, 17; 8, 18; 9, 6; 9, 17; 9, 26; 9, 31; Zosim. 4, 20, 6.

[6]) Polyb. 3, 62, 4; 3, 82, 8; frg. 20, 10, 7; 20, 10, 8; 33, 8, 3;

tergum vincirentur [1]) aut loris [2]), aut catenis [3]). Sed — quod his exemplis apparet — multo saepius commemorantur catenae quam lora. Etiam per ludibrium captivi, qui summo erant nati loco, catenis argenteis aut aureis vinciebantur [4]). Sed etiam nobilioribus haud raro demebantur vincula [5]). Per iniuriam si quis erat vinctus, vincula non solvere solebant Romani, sed dissecare. Vespasianus ipse Iosepho Iudaeo vincto fertur in medium prodiens securi dissecuisse catenam [6]). In collum loro iniecto captivi duci poterant [7]). Catellos quoque ferreos invenio

Liv. 3, 28, 9/10; 7, 27, 8; 8, 16, 9; 8, 19, 14; 9, 24, 13/14; 10, 20, 11; 21, 42, 1; 22, 6, 12; 22, 7, 5; 23, 10, 6; 23, 10, 7; 23, 10, 12; 23, 19, 17; 23, 38, 7; 24, 31, 3; 26, 13, 15; 26, 14, 8; 27, 51, 11; 28, 26, 7; 28, 19, 12; 30, 12, 9; 30, 13, 2; 36, 14, 5; 36, 28, 6; 39, 50, 3; 45, 40, 6; Vell. Paterc. 2, 19, 2; 2, 120, 6; 2, 121, 3; Flor, 2, 11, 6; 2, 14, 5; 2, 20, 6; 3, 19, 3; 3, 1, 17; 3, 10, 18; 3, 5, 31; 4, 8, 8; 4, 12, 17; Eutrop. 4, 27, 6; 2, 21, 4; Oros. 4, 7, 9; 4, 9, 3; 4, 18, 21; 5, 1, 9; 5, 4, 21; 5, 15, 18; 6, 19, 3; 7, 9, 3; 7, 37, 15; Sall. Iug. 113, 6; Caes. b. G. 1, 47, 6; 7, 20, 9; Diod. frg. 27, 6, 1; 27, 6, 2; 34, 23; 37, 27; Dion. Hal. 3, 58; 10, 25; Appian. b. c. 1, 114; Mithr. 20; 21; 105; Hann. 10; Gall. 17; Plut. Aem. Paull. 13, 1; Mar. 24, 6; Pomp. 33, 4; Luc. 32, 8; Cass. Dio. frg. 12, 49, 3; frg. 14, 57, 4; 17, 57, 73; 37, 15, 3; 40, 41, 3; 49, 39, 6; 59, 22; 68, 22, 3; 77, 12; Zon. 8, 19, 4; 8, 23, 8; 8, 25, 8; 9, 12, 11; 9, 13, 3; 12, 12; Tacit. ann. 2, 18; hist. 3, 84; 4, 13; Sueton. Vespas. 5; Vitell. 17; Ioseph. ant. Iud. 14, 6, 1; 14, 13. 6; b. Iud. 1, 8, 6; 2, 13, 7; 4, 10, 7; 6, 6, 4; 6, 9, 2; 7, 2, 2; 7, 7, 3; Fronton. b. Parth. p. 220 N.; Horat. carm. 3, 5, 22; 3, 5, 35; Sil. Ital. 2, 340; 7, 71; 16, 72; Zosim. 3, 22, 6; Hieron. chron. p. 135 Sch.

[1]) Liv. 9, 10, 7/8; Oros. 5, 4, 21; Tacit. hist. 3, 84; Sueton. Vitell. 17; Horat. carm. 3, 5, 22; Sil. Ital. 16, 72: Zosim. 3, 22, 6.

[2]) Horat carm. 3, 5, 35; Vell. Paterc. 2, 19, 2.

[3]) Polyb. 3, 62, 4; Liv. 23, 10, 6; 24, 31, 3; 26, 14, 8; 45, 40, 6; Flor. 2, 11, 6; 2, 14, 5; 3, 1, 17; 3, 5, 31; 4, 8, 8; 4, 12, 17; Eutrop. 2, 21, 4; 4, 27, 6; Oros. 4, 9, 3; 4, 18, 21; 5, 1, 9; 5, 15, 18; 6, 19, 3; Caes. b. G. 1, 53, 5; Tacit. ann. 2, 18; Fronton. b. Parth. p. 220 N.; Sil. Ital. 7, 71.

[4]) Cass. Dio. 49, 39, 6; 49, 40, 3; Zon. 10, 27; Oros. 6, 19, 3.

[5]) Cass. Dio. frg. 17, 57, 73; Zon. 9, 13, 3; Ioseph. b. I. 7, 7, 3.

[6]) Ioseph. b. I. 4, 10, 7. — [7]) Vell. Paterc. 2, 19, 2; Sueton. Vitell. 17.

collis esse aptatos [1]). In triumpho captivi ibant catenis operti [2]). Exercitus, cum in aciem profecti sunt, sequebatur totus vinculorum apparatus [3]). Nimirum, quod captivi interdum summa vi ex vinculis [4]) se liberare conati sunt. Morsibus eos catenas temptasse memoriae proditur [5]). Quin etiam vinculis soluti atque armis receptis agmini intermixti terribiliorem proelio ipso tumultum praebere potuerunt [6]). Compedibus esse usi videntur Romani, quibus latrones vincirent [7]). Etiam in carcere publico ipso iussu praetoris compedes adhiberi poterant. Nam cum a. 198 a. Chr. captivi haud satis intente custoditi periculum rei publicae moliri coepissent, circa nomen Latinum a praetore litterae sunt missae, ut captivi ne minus decem pondo compedibus vincti in nulla alia quam in carceris publici custodia essent [8]). Redemptio si fiebat, in vinculis habiti sunt, donec omne aurum persolutum est [9]).

Haec habui de captivis Romanorum vinctis. Accuratius de hac re instruimur, cum non solum libros veterum, sed etiam monumenta lapidea, quae nunc reliqui, perlustraverimus.

Proelio commisso captivi ad imperatorem deduci solebant [10]). Nimirum, quod furore iraque frementes interdum

---

1) Polyb. frg. 20, 10, 8. — 2) Liv. 45, 40, 6; Flor. 3, 1, 17.
3) Polyb. 3, 82, 8: κομίζοντας ἁλύσεις καὶ πέδας καὶ πᾶσαν τὴν τοιαύτην παρασκευήν. cf. Tacit. ann. 2, 18.
4) Liv. 8, 16, 9. — 5) Flor. 2, 11, 6; 4, 12, 17.
6) Liv. 10, 20, 11; 24, 16, 3; Cass. Dio. 68, 22, 3.
7) Flor. 3, 19, 3.
8) Liv. 32, 26, 18.
9) Liv. 23, 19, 17.
10) Polyb. 1, 82, 2; 3, 85, 1; frg. 10, 17, 6; 10, 40, 1; 15, 5, 5; Liv. 30, 12, 21/22; 30, 29, 2; 36, 14, 5; 45, 6, 12; Oros. 4, 18, 21; Appian. b. c. 4, 42; 5, 48; Lib. 14; 26; Caes. b. G. 7, 67, 7; Cass. Dio. frg. 17, 57, 73; Diod. frg. 34, 23; Ioseph. b. I. 1, 8, 6; Iust. epit. 33, 1, 5; Plut. Aem. Paull. 26, 7; Caes. 53, 3; Pomp. 20, 4; 36, 2; Sueton. Aug. 13; Zon. 9, 13; 10, 4.

imperatorem conviciis obruebant, velut captivi pugnae Philippensis (a. 42 a. Chr.). Qui cum catenati producerentur, imperatore Antonio honorifice salutato, Octavianum foedissimo convicio coram prosciderunt[1]). Velleius Paterculus eo loco, quo laudat res a Tiberio in Germania Pannoniaque gestas, memoriae prodit, captivos ante imperatoris procubuisse tribunal[2]).

Penes imperatorem ipsum erat supplicium sumere de captis, in vincula coniectos mandare custodiae, carcere condere, sub corona vel hasta vendere, per redemptionem dimittere aut ultro reddere hostibus. Sed haud raro fiebat, ut consul reiceret rem ad senatum eique permitteret, ut consultaret, qua ratione quove modo bello capti vel dediti tractandi essent. Consuleret dux senatum, necesse non erat[3]). Iure atque merito Th. Mommsen iudicat[4]): „Bei der Verfügung über die Gefangenen ist die militärische Befugnis des Feldherrn von der dem römischen Regiment zustehenden politischen, nicht so wie bei der Beute formell geschieden. Es liegt in der Sache, dass Überläufer vom militärischen, gefangene Feldherrn und Fürsten vom politischen Standpunkt aus behandelt werden; aber eine rechtliche, feste Grenze ist hier nicht gezogen." At quae senatus censuisset, haud neglegenda erant duci[5]).

Plane alienum a consuetudine huius aetatis est[6]) bello captos exercitui adscribere permixtosque captivos cogere contra populares stringere gladios. Quod persaepe factum est bellis civilibus vel inter Caesarem et Pompeium gestis. Quibus ex temporibus haec consuetudo remanet[7]). Sed

---

[1]) Suet. Aug. 13. — [2]) Vell. Paterc. 2, 106, 1; 2, 114, 4.
[3]) Dion. Hal. 5, 60. — [4]) R. St. 3, 2 p. 1109/10.
[5]) Mommsen. l. l. — [6]) cf. Lueder. p. 434.
[7]) Diod. frg. 25, 10: ἔταξεν εἰς τὰς ἰδίας στρατιάς; Plut. Caes. 35, 1; 46, 2; Pomp. 65, 2; Appian. b. c. 1, 42; 3, 80; 4, 116; 4, 135; 5, 144; Cass. Dio. 41, 62, 1; 49, 12, 4; 51, 3, 1; 71, 11; Zon. 10, 9; Lamprid. Alex. Sever. 58; Ammian. 31, 10, 17; cf. Diod. frg. 22, 13; Polyb. 1, 78, 13.

exstant sane exempla fidei summa admiratione digna. Caesaris ingressi iam bellum civile milites non solum non desciverunt, sed etiam capti vitam concessam sibi sub condicione, si militare adversus eum vellent, recusarunt[1]).

Romanorum duces ex more belli saepius atque iterum captivos percontabantur, quot qualesque hostes in armis essent, quaenam eorum consilia, quo animo ingenioque duces, quantae hostium copiae, opes, auxilia, quae esset natura loci, quo consilio a Romanis defecissent, publico consilio arma cepissent an privato, alia multa[2]). Haec testimonia accuratius qui inspexerit, Caesarem, cum Galliam subigeret, permulta cognovisse ex captivis atque re vera eorum responsis consilia sua accommodasse non fugiet. Quin etiam semel equitum turmas in omnes partes eum dimisisse invenio *ad aliquos excipiendos, ex quibus hostium consilia cognosceret*[3]). Hannibal quoque sequebatur hanc consuetudinem[4]). Atque ducibus itineris saepius captivis utebantur cum alii tum Romani[5]) neque inauditum erat, quod belli machinas exstruere hostes docebant captivi[6]). Capti Romani Nervios instruxerant hiberna vallo fossaque cingere, aedificare turres, scalas parare testudinesque

---

[1]) Sueton. Caes. 68.

[2]) Polyb. 2, 27, 3; 3, 104, 1; Liv. 5, 26, 6; 6, 25, 1/2; 9, 2, 3/4; 9, 31, 7; 10, 34, 13; 21, 49, 4; 23, 34, 5; 26, 50, 2; 27, 7, 2; 27, 5, 10; 27, 43, 3; 27, 19, 9; 29, 6, 6; 30, 13, 8–14; 45, 8, 1; Flor. 3, 3, 15; Oros. 6, 10, 3; 6, 11, 17; Caes. b. G. 1, 50; 2, 16, 1; 2, 17, 2; 5, 8, 4; 5, 18, 4; 5, 48, 2; 5, 52, 5; 6, 32, 2; 6, 43, 4; 7, 18, 1; 7, 72, 1; 8, 17, 1; 8, 26, 2; 8, 36, 1; b. c. 2, 39; Diod. frg. 34, 23; Dion. Hal. 1, 19; 3, 26; 5, 46; 8, 6; 8, 66; 12, 13; Tacit. Agric. 25; ann. 2, 25; Ioseph. b. Iud. 3, 8, 9; Appian. b. c. 4, 117; 5, 136; Lib. 28; Ib. 95; Plut. Cat. mai. 13, 6/7; Luc. 8, 8; Cass. Dio. 40, 7, 2; 68, 12; 68, 14; Zon. 9, 4, 3; 11, 21; 12, 23; Ammian. 29, 6, 12; idem de Sugambris traditur: Caes. b. G. 6, 35, 7–10; 6, 37, 8; 6, 39, 4.

[3]) bell. Gall. 8, 7, 1.

[4]) Liv. 26, 11, 7; Polyb. 9, 6, 8; Sil. Ital. 7, 20–73.

[5]) Ammian, 17, 10, 5; 31, 6, 5; Cass. Dio. 37, 3, 5; Plut. Cat. mai. 13, 2; Luc. 15, 3/4; Zonar. 12, 23. — [6]) Tacit. hist. 4, 23.

facere[1]). Quanti veteres ea, quae captivi proferrent, iudicaverint, eo sequitur, quod Vercingetorix proditionis simulatus, ut se defenderet, suis produxit nonnullos captos, quos Romanos milites esse pronuntiabat. *Audite*, inquit, *Romanos milites. Producit servos, quos in pabulatione paucis ante diebus exceperat et fame vinculisque excruciaverat. Hi iam ante edocti, quae interrogati pronuntiarent, milites se esse legionarios dicunt: fame et inopia adductos clam ex castris exisse, si quid frumenti aut pecoris in agris reperire possent; simili omnem exercitum inopia premi nec iam vires sufficere cuiusquam nec ferre operis laborem posse; itaque statuisse imperatorem, si nihil in oppugnatione oppidi profecisset, triduo exercitum deducere*[2]). Neque quisquam videtur dubitasse, quin omnia ab his captis pronuntiata vera essent; nam: *conclamat omnis multitudo et suo more armis concrepat*[3]).

Captivi si recusabant, ne arcana proderent, servorum modo verberibus tormentisque vera fateri cogebantur[4]). Neque alienum erat a Graecis captivos excruciare. Sed etiam fieri potuit, ut captivus sine indicio ullius rei in tormentis moreretur, velut Herodorus princeps amicorum Demetrii[5]). Neque hoc constantiae praeclarum exemplum omittam: Iotapatenorum quidam captus omnibus tormentorum cruciatibus resistebat, et, cum nollet igne adhibito hostibus, quid in urbe ageretur, exquirentibus prodere, mortem deridens cruci suffixus est[6]).

Pugna modo commissa omnes, quos singuli milites ceperant, r e c e n s e b a n t u r. Primum quidem omnes separabantur secundum sexum[7]). Atque pro sua quisque

---

[1]) Caes. b. G. 5, 42, 2—5. — [2]) Caes. b. G. 7, 20, 8—11.

[3]) Caes. b. G. 7, 21, 1.

[4]) Appian. b. c. 5, 77; Liv. 27, 43, 3; Frontin. strateg. 1, 2, 5; Oros. 6, 19, 3; Tacit. hist. 3, 33.

[5]) Liv. 40, 23, 9. — [6]) Ioseph. b. I. 3, 7, 33.

[7]) Polyb. frg. 10, 17, 6.

condicione alius ab alio secernebatur[1]). Inprimis inquirebatur, utrum socii atque amici populi Romani essent inter captivos necne. Corintho urbe capta hoc modo victor instituebat recensionem: ἵνα δὲ μήτε τις ἐκείνων λάθῃ μήτε τῶν λοιπῶν τις Ἑλλήνων πραθῇ ὡς Κορίνθιος, συνεκάλεσε, πρὶν ἐκφῆναι τὸ ποιητέον, πάντας τοὺς παρόντας, καὶ αὐτοὺς ἀφανῶς πως τοῖς στρατιώταις ἐγκυκλωσάμενος ἐκήρυξε τήν τε τῶν ἄλλων ἐλευθερίαν καὶ τὴν τῶν Κορινθίων δούλωσιν. ἔπειτα προσέταξε πᾶσι τῶν παρεστηκότων σφίσι λαβέσθαι, καὶ οὕτω σαφῆ τὴν διάκρισιν αὐτῶν ἐποιήσατο[2]). Hannibal quoque segregare consuevit Romanos et socios[3]).

Saepius in bello legationes, quibus eligebantur captivi, ad hostem mittebantur, ut redimerentur aut permutarentur bello capti[4]), ut urbs obsessa a popularibus commota celerius in deditionem veniret, ut pacis condiciones offerrentur[5]). Iosephus Titi iussu saepius munere interpretis pacis functus est[6]). Per captorum legationes patria lingua verba facientes satis verisimile est hostes hominis gentilis postulationi facilius nonnihil concedere. Quod etiam Pyrrhus intellexit, qui Fabricio captivos commisit, ut, si senatus pacem non decrevisset, salutatis amicis et Saturnalibus celebratis ad se remitterentur[7]).

Cum saepissime omnis praeda bello capta attribueretur

---

[1]) Liv. 6, 25, 1; 26, 49, 9; 27, 19, 2; 38, 27, 7; Polyb. frg. 10, 40, 10; 18, 10, 3—5; Ioseph. b. I. 6, 9, 2; Plut. Anton. 39, 5; Appian. Syr. 36; b. c. 1, 94; b. c. 4, 42.

[2]) Zon. 9, 31, 7.

[3]) Liv. 22, 50, 6; 22, 52, 3; 22, 58, 2; cf. Diod. frg. 26, 14; Polyb. 3, 85, 2/3.

[4]) cf. Liv. per. 18; Gell. N. A. 6, 18, 1—11.

[5]) Cic. in Pis. 43; Liv. per. 18; Valer. Max. 9, 2, ext. 1; Eutrop. 2, 24, 1; Oros. 4, 10, 1; Iordan. Rom. 172; Appian. Lib. 4; Sic. 2, 1; Plut. Pomp. 63, 2; 65, 2; Brut. 32, 1; Cass. Dio. frg. 11, 43, 26; 47, 34, 4; Zon. 8, 14; Sil. Ital. 6, 302—551.

[6]) Ioseph. b. Iud. 5, 9, 2.

[7]) Plut. Pyrrh. 20, 9; Appian. Samn. 10, 3.

militibus, captivi fiebant rei publicae[1]). Sed si praeter usum atque consuetudinem militibus captivi ipsi concedebantur, ut servi eorum essent, praemium eximiae fortitudinis erat. Quae potestas quin data fuerit duci, dubium non esse potest[2]). Sacramento vetiti erant milites celare, quae caperent[3]). Tarquinius Superbus Suessa capta omnes praeter armatos una cum feminis, liberis, servorum maxima parte militibus in praedam concessisse fertur[4]). Marcius ille Coriolanus, propterea quod in Coriolorum obsidione praeter ceteros floruisset summa fortitudine, a consule iussus esse dicitur ex omni praeda decem sibi capita deligere, antequam praeda militibus divideretur[5]). Quod Fidenis deletis militibus ab equite ad centurionem singuli et, quorum eximia virtus fuerat, bini captivi sorte ducti sunt concessi, maxime contra consuetudinem pugnat[6]). Bellis Punicis perraro hostes capti fiebant militum Romanorum[7]). Eadem ratione singulare videtur, quod Flamininus (a. 197 a. Chr.) captivos praedamque partim venumdedit, partim militi concessit[8]). Caesar quoque Alesia capta toti exercitui capita singula praedae nomine distribuit[9]). Etiam bello contra Bastarnas gesto (a. 29 a. Chr.) captivi inter milites divisi sunt[10]). Sed etiam factum est, ut mancipia urbis expugnatae militibus concederentur, cum libera corpora iure belli venumdarentur[11]). Plane aliud in animo habuit C. Flavius Fimbria, qui, ut militum gratiam sibi conciliaret, eis permisit, ut agros sociorum quasi hostium vastarent atque obvium quemque in servitutem redigerent[12]). Iam me-

---

[1]) Liv. 6, 13, 7; 23, 37, 12; 24, 16, 5; 27, 19, 2; Dion. Hal. 3, 56; 5, 47; Tacit. ann. 13, 39; Valer. Max. 5, 1, 7; Eutrop. 3, 16, 2; Oros. 4, 18, 5; Zon. 7, 13; Cass. Dio. 37, 20, 4; Plut. Cat. mai. 10, 7.

[2]) Dion. Hal. 4, 24. — [3]) cf. Gell. N. A. 16, 4, 2.

[4]) Dion. Hal. 4, 50. — [5]) Plut. Coriol. 10, 1; cf. Dion. Hal. 6, 94. — [6]) Liv. 4, 34, 4. — [7]) Plut. Marc. 19, 4; Zon. 8, 11. — [8]) Liv. 33, 11, 2. — [9]) Caes. b. G. 7, 89, 4. — [10]) Cass. Dio. 51, 24, 7. — [11]) Dion. Hal. 9, 56; Plut. Marc. 19, 4; Sueton. Caes. 26. — [12]) Diod. frg. 38/39, 8.

lius intellegemus captivos in possessionem rei publicae pervenisse, cum infra[1]) disseremus de captivis venumdatis.

Perseus rex militibus captivos modo attribuit[2]), modo detraxit[3]).

Hannibal virtutis eximiae praemio permisit, ut captivi militum praeda fierent[4]), haud secus ac Philippus rex[5]).

Germani praedam atque captivos inter se divisisse colligi potest ex Flori testimonio[6]).

Populus Romanus si una cum socio quodam, velut Attalo rege, bellum gerebat, omnis praeda, quod aequum erat, dividebatur. Oreo (a. 200 a. Chr.) a Romanis Attaloque socio capto urbs regi, captiva corpora Romanis cesserunt[7]). Iam in illo foedere Romanorum cum Carthaginiensibus icto, quod Polybius affert secundum, constitutum erat, ut Poeni, cum in Latio urbem cepissent Romanis non subditam, et pecunias et captivos acciperent, sed urbem Romanis traderent[8]). Idem Polybius alio loco foederis condicionem commemorat hanc: τὰ μὲν σώματα καὶ τὰ ἔπιπλα Ῥωμαίων ὑπάρχειν, τὰς δὲ πόλεις καὶ τὴν χώραν Αἰτωλῶν[9]).

Omnes captivi antiquissimis temporibus, cum res esset contra finitimas gentes, semper Romam videntur missi esse[10]). Sed Romani cum arma ferre ad populos exteros coepissent, captivos omnes Romam mittere non poterant. Itaque captorum multitudinem in hostium finibus aut vendiderunt aut remiserunt. Sed hostium duces, reges, principes, nobiles Romam mitti oportebat, ut triumpho reservarentur[11]).

---

[1]) p. 95—99. — [2]) Liv. 42, 61, 2. — [3]) Liv. 43, 19, 12. — [4]) Liv. 21, 15, 1; Polyb. 3, 17, 10. — [5]) Liv. 27, 32, 9. — [6]) Flor. 4, 12, 25. — [7]) Liv. 31, 46, 16. — [8]) Polyb. 3, 24, 5. — [9]) Polyb. frg. 11, 6. 5.

[10]) Liv. 1, 37, 5; 6, 13, 7; 6, 25, 2; 7, 19, 2; 7, 19, 14; 9, 24, 13—15; 9, 42, 7.

[11]) cf. Liv. 23, 41, 7; 23, 34, 8; 23, 38, 1; 23, 38, 5; 24, 19, 11; 26, 51, 2; 27, 7, 1; 28, 4, 4; 28, 17, 1; 30, 21, 3; 30, 16, 1; 30, 17, 1; 36, 14, 10; 37, 3, 8; 44, 32, 4; 45, 35, 1; Flor. 2, 14, 5; Oros. 4, 8, 9; 4, 18, 1; 4, 18, 21; 6, 6, 4; Polyb. frg. 10, 19, 8;

Quod Romani, cum in Campanos a. 210 a. Chr. animadverterent, libera corpora, quae venumdari placuerat, Romam mitti ac Romae venire iusserunt, factum videtur esse, ut gravior redderetur poena. Nam multi Romani propinquos nescio an venumdari ipsi oculis viderint [1]). Romae saepius in senatum introducti sunt captivi, quos primores patrum percontarentur [2]). Senatus erat, ut a Livio [3]) in dubio non relinquitur, percontari captivos quaestionesque decernere.

Captivi, qui continerentur, custoditi sunt [4]). Aut in carcerem eos coniectos esse aut in custodia habitos permultis locis legimus [5]). Quaeritur, quidnam intersit inter carcerem et custodiam. Quas voces re vera differre inter se apparet, cum consideremus hos locos:

1, 7, 11; 1, 29, 10; frg. 33, 8, 3; Appian. Hann. 43; Illyr. 9; Lib. 28; 48; Ib. 38; Ib. 98; Zon. 9, 8, 10; 9, 6, 7; Eutrop. 3, 14, 6; Ioseph. b. I. 1, 8, 6; 1, 7, 7; 6, 6, 4; 7, 7, 3; 7, 5, 3; ant. Iud. 14, 4, 5; 20, 10, 1; Tacit. ann. 12, 21; Flav. Vopisc. Prob. 17; Ammian. 16, 12, 65; Malal. p. 300 D.

1) Liv. 26, 34, 11.

2) Liv. 6, 13, 8; 6, 25, 2; 6, 25, 5; 9, 42, 9; 23, 38, 5; 27, 7, 2. — 3) 9, 42, 9. — 4) Liv. 6, 3, 9; 8, 20, 7; 10, 2, 12; 9, 42, 7; 36, 14, 5.

5) carcer: Liv. 8, 20, 6/7; 24, 19, 11; 26, 16, 6; 30, 21, 4; 32, 26, 17; 37, 46, 5; 38, 60, 6; 38, 57, 4; 39, 52, 8; Vell. Paterc. 2, 19, 2; Cic. in Verr. 5, 77; Oros. 5, 1, 9; 5, 15, 19; 5, 10, 5; Liv. per. 67; Iustin. ep. 32, 1, 9; Eutrop. 4, 20, 2; 4, 27, 6; Capitol. XXX tyr. 21; Sil. Ital. 2, 341/2; δεσμωτήριον: Dion. Hal. 6, 31; Strab. 14, 1, 38 p. 646; Zon. 8, 13; 9, 30, 9; καθεῖρξαν: Zon. 8, 2; εἶρξε: Ioseph. b. I. 1, 8, 6; φρουρά: Plut. Anton. 81, 2; Caes. 27, 3; Ioseph. b. I. 6, 6, 4; Cass. Dio. 42, 39, 2; Zonar. 9, 30, 9.

custodia: Liv. 6, 3, 9; 10, 2, 12; 22, 25, 6; 24, 45, 8; 26, 16, 6; 26, 14, 9; 26, 15, 7; 28, 3, 15; 30, 17, 11; 30, 17, 2; 30, 45, 4; 30, 43, 5; 31, 23, 9; 38, 23, 3; 38, 24, 2; 40, 28, 7; 45. 35, 1; 43, 19, 12; 45, 43, 9; Vell. Paterc. 1, 11, 1; 2, 42, 3; Valer. Max. 5, 1, 1b; 5, 1, 1c; Oros. 4, 20, 39; Eutrop. 2, 27, 4; Tacit. hist. 4, 2; 4, 53; Ammian. 21, 4, 5; φυλακή: Polyb. 3. 77, 3; frg. 16, 23, 7; 22, 9, 14; Appian. b. c. 5, 48; 1, 42; Illyr. 9; Plut. Mar. 38, 3; Cass. Dio. frg. 20, 66, 4; 36, 53, 3; 68, 12; Diod. frg. 27, 6. 1; 31, 8, 2; 31, 8, 3.

patres censuerunt, ut Q. Cassius Persea regem cum Alexandro filio Albam in custodiam duceret; . . . . Bithys, filius Cotyis, regis Thracum, cum obsidibus in custodiam Carseolos est missus; ceteros captivos, qui in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit[1]). — *Rex Gentius cum liberis et coniuge et fratre Spoletium in custodiam ex senatus consulto ductus, ceteri captivi Romae in carcerem coniecti*[2]). — *trecenti ferme nobiles Campani in carcerem conditi, alii per sociorum Latini nominis urbes in custodias dati*[3]).

Carcer quin gravius coercitionis genus fuerit quam custodia, dubium non esse potest. Carcer habebatur ad continendos homines, non ad puniendos[4]). Itaque ii, qui in triumpho ante currum ducebantur, aut ii, qui verberati necabantur vel securi percutiebantur, adservari solebant carcere[5]). In carcere etiam strangulabantur captivi vel summo loco nati[6]). Puniendi causa captos in carcerem condere alienum erat a consuetudine Romanorum libera re publica florente, Caesaribus imperium obtinentibus utebantur et vinculis perpetuis et temporariis. Ioannes Iudaeus is, qui Hierosolymis captis se in fidem Titi tradiderat, servatus est vinculis perpetuis. In carcere ipso captivorum condicio miserrima erat atque multas querellas proferunt rerum scriptores. Neque raro licentia duritiaque custodum captivi graviter premebantur. Iugurtha in carcerem coniectus, cum alii vi ei tunicam eriperent, alii aurium insigne revellere contendentes simul auriculam avellissent, nudus in barathrum detrusus est; ibi perturbatus vultu in risum verso: Per herculem, inquit, quam frigidum vestrum

---

1) Liv. 45, 42, 4.

2) Liv. 45, 43, 9. — 3) Liv. 26. 16, 6. — 4) Dig. 48, 19, 8, 9. — 5) Liv. 8, 20, 6/7; 37, 46, 5; 38, 60, 6; Liv. per. 67; Polyb. frg. 16, 23, 7. — 6) v. supplicia; cf. Liv. per. 67; Oros. 5, 10, 5; 5, 15, 19; 5, 1, 9; Eutrop. 4, 20, 2; 4, 27, 6; Capitol. XXX tyr. 21; Strab. 14, 1, 38 p. 646; Zon. 9, 30. — 7) δεσμοῖς αἰωνίοις: Ioseph. b. I. 6, 9, 4. —

balneum est. Sex totos inde dies cum fame colluctatus usque ad extremam horam cupiditate vitae suspensus est [1]). Vincire in carcerem coniectos necessarium non erat [2]), Caesaribus demum rem administrantibus non solebant liberi esse a vinculis.

Ne quod captivis colloquium inter se neve communicatio consilii esset, singuli poterant separatim custodiri. Quod etiam factum video, cum navibus transportarentur [3]).

In lautumias coniectos esse bello captos testatur Livius [4]). Etiam in castris, quae vocantur peregrina, bello capti asservabantur [5]).

Graecos Philopoemenem captum a. 183 a. Chr. in thesaurum publicum sub terra saxo quadrato saeptum demisisse vinctum, quod ne uni quidem custodiam eius satis credebant, memoriae servarunt Livius [6]), Polybius [7]), Plutarchus [8]).

Custodiam re vera multo minus grave fuisse genus captivos continendi vel ex eo apparet, quod etiam obsides in custodia habiti sunt.

Proelio commisso omnes captivi dabantur in custodiam [9]). In itinere captivi ab armatis saepti incesserunt [10]). Captivorum custodia plerumque tribunis militum tradita est [11]); etiam centuriones custodiae poterant praeesse [12]).

Custodiam ipsam cum consideramus, tria invenimus genera: primum custodiam publicam, deinde custodiam liberam, tum custodiam militarem [13]). Custodia publica gravior erat quam libera, quod vel ex nomine colligitur. Libera quae vocatur custodia

---

1) Plut. Mar. 12, 4/5. — 2) Liv. 32, 26, 18. — 3) Liv. 23, 34, 9. — 4) 37, 3, 8; 32, 26, 17. — 5) Ammian. 16, 12, 65. — 6) 39, 50, 3. — 7) frg. 24, 8. — 8) Philop. 19, 4. Iustinus de hac re nihil adnotat, sed exhibet: in carcerem ducto. epit. 32, 1, 9. — 9) vel proximo in vico: Liv. 10, 2, 12; 28, 3, 15; 40, 28, 7; etiam Perseus, quod eandem secutus est consuetudinem, non est mirum: Liv. 43, 19, 12. — 10) Tacit. hist. 4, 2. — 11) Liv. 38, 23, 3; Polyb. frg. 10, 19, 8. — 12) Liv. 38, 24, 2. — 13) Liv. 30, 43, 5; 24, 45, 8; Vell. Paterc. 1, 11, 1.

concessa est plerumque hominibus nobilissimo loco natis vel regibus principibusque, qui in Romanorum manus venerunt[1]). Quae qualis fuerit, optime nos docet Livius[2]), ubi agit de Dasio Altinio Arpino, qui ad Romanos profugiens, si sibi praemio foret, se Arpos Romanis proditurum esse pollicitus est. Quibus, cum parum ei fidem haberent, placuit libera custodia haud procul a castris in aliqua fida civitate eum servari per belli tempus. Itaque Calenis legatis traditus et ipse et comites, et auri satis magnum pondus, quod secum tum attulerat, ei servari iussum. Calibus eum interdiu solutum custodes sequebantur, nocte clausum adservabant. Mandata est haec custodia libera magistratibus vel hominibus, qui nobiliore loco nati digni erant fide. In aedificiis, quae ipsi habitabant, asservabant captivos. Sed quia captus in hoc custodiae genus missus neque vinctus neque carcere inclusus erat, Romani liberam dicunt custodiam, quam Graeci φυλακὴν ἄδεσμον vel ἐλευθέραν vocant[3]).

Saepissime captivi per sociorum Latini nominis urbes in custodias dati sunt[4]). Atque haud imprudenter Romani hoc fecerunt. Nam primum impediebatur, quominus magna captivorum, qui facile rebellare poterant, multitudine urbs premeretur. Deinde inter Latinos, fidelissimos populi Romani socios, divisi periculo rei publicae fieri non poterant. Sed etiam Roma ipsa sane fuerunt captivi in custodia[5]). Satis diu cum in quo oppido fuissent, in alterum traduci

---

[1]) Vell. Paterc. 1, 11, 1. — [2]) 24, 45, 8.

[3]) Diod. frg. 31, 8, 2; 31, 8, 3; 27, 6, 1; Cass. Dio. 68, 12; 36, 53, 3; frg. 20, 66, 4; Zon. 9, 30, 9: φρουραὶ ἄδεσμοι; Plut. Ant. 81, 2: τὰ δὲ Κλεοπάτρας παιδία φρουρούμενα μετὰ τῶν τρεφόντων ἐλευθέριον εἶχε δίαιταν.

[4]) Liv. 6, 3, 9; 9, 42, 9; 24, 19, 11; 26, 14, 9; 26, 16, 6; 30, 17, 2; 30, 45, 4; 32, 26, 18; cf. 45, 43, 9; Sall. Catil. 51, 43; Vell. Paterc. 2, 35, 3; Zon. 9, 30, 9.

[5]) Liv. 30, 17, 11.

poterant[1]). Fieri potuit, ut socii nescio quibus causis commoti custodiam recusarent[2]). Sed hoc genus custodiae, quae vocatur libera, non iam invenimus adhibitum a Caesaribus.

Etiam in libera custodia captivi crudeliter tractari poterant. Sed magistratus Romanorum de hac duritia certiores facti in sontes graviter animadverterunt. Atili Reguli filii habebant domi Bostarem Poenum et Hamilcarem in custodia libera. Reguli vidua mortem viri a Poenis — ut ei quidem persuasum erat — supplicio affecti aegre ferens commovit filios, ut saevirent in captivos. Qui fecerunt, quod mater iusserat: Bostar paulo post prae animi aegritudine ac fame interiit. Atque Hamilcar a muliere saeva cum Bostaris cadavere inclusus iam in summum vitae discrimen venerat cadaveris taetro odore ceterisque angustiis oppressus, cum hoc tantum facinus mulieris venit per tribunos plebis ad magistratus. Neque multum afuit, quin tum Atilii capitis damnarentur, quod nomini Romano eam crudelitatis notam paravissent. Itaque cogebantur summa cura in posterum captivis consulere. Bostaris quidem cremati cineres in patriam remiserunt, Hamilcarem refecerunt[3]).

Syphaci in triumpho ducto libera custodia concessa est primo Albae. Inde traductus dicitur Tiburem, qua in urbe e vita decessit[4]). Etiam Perseus, Macedonum rex, cum Alexandro filio Albam in custodiam ductus est[5]). Bithys, Cotyis filius, regis Thracum, Carseolos missus[6]), Gentius rex Spoletinis recusantibus custodiam Iguvium traductus est[7]).

---

[1]) Liv. 30, 45, 4. — [2]) Liv. 45, 43, 9. — [3]) Diod. frg. 24, 12.

[4]) Liv. 30, 17, 2; 30, 45, 4; Zon. 9, 13, 7; Valer. Max. 5, 1, 1 b.

[5]) Liv. 45, 35, 1; Vell. Paterc. 1, 11, 1; Valer. Max. 5, 1, 1 c; Diod. frg. 30, 23, 2; 31, 8, 2; 31, 8, 3; 31, 9, 1–5; Cass. Dio. frg. 20, 66, 4; Zon. 9, 24, 5; Oros. 4, 20, 39.

[6]) Liv. 45, 42, 5. — [7]) Liv. 45, 43, 9.

Non licitum videtur esse hostium legationes colloqui cum iis captivis, qui in publica custodia erant. Sed sine dubio senatus aditum ad captivos permittere potuit[1]). Tamen quin homines temerariis animis, cum captivi minore cura custodirentur, aditum sibi invenirent inulti, impediri non poterat[2]). Accedit, quod interdum custodes, ut erant praecipites in pecuniam, aditum praeter leges non recusabant. Caesarum temporibus magis magisque valebat id custodiae genus, quod vocatur militare. Quam custodiam permiscere non licet cum carcerali ea, in qua utebantur Romani aeque ac Poeni ceterique militibus captivorum custodibus[3]).

Gloria imperatoris, ut augeretur magno numero captivorum aut, si Ciceronis verbis uti licet[4]), *ut captivis per triumphum ductis pulcherrimum spectaculum fructumque victoriae populus Romanus percipere posset,* capti hostes ante currum imperatoris triumphantis duci solebant[5]). Hoc spectaculum populo erat magnae voluptati[6]), qua multarum nationum

[1]) Liv. 30, 43, 5.

[2]) cf. Liv. 25, 7, 12: de obsidibus in custodia habitis.

[3]) cf. Appian. Hann. 57; Ammian. 21, 4, 5; Polyb. 3, 85, 3.

[4]) in Verr. 5, 77.

[5]) Polyb. 2, 31, 6; frg. 16, 23, 6; 30, 13, 1; Liv. 3, 29, 4; 4, 10, 7; 6, 4, 1; 6, 16, 5; 7, 27, 8; 10, 46, 4; 26, 13, 15; 33, 23, 4; 34, 52, 9; 36, 40, 11; 37, 46, 4—6; 37, 59, 6; 38, 60, 6; 39, 7, 2; 40, 34, 8; 45, 40, 6; 45, 43, 6; Liv. per. 11; 67; Flor. 1, 18, 27; Eutrop. 2, 5, 2; 4, 8, 2; 4, 27, 6; 6, 16, 1; 9, 27, 2; Oros. 4, 20, 39; 5, 1, 9; 5, 15, 19; de vir. ill. 17, 3; 56, 3; Plut. Rom. 25, 9/10; Marc. 8, 1; 21, 5; Aem. Paull. 33; 34; Mar. 12, 4; Anton. 50, 2; Pomp. 33, 4; 45, 4; Caes. 27, 3; 55, 2; Luc. 37, 3; Diod. frg. 31, 8, 3; Dion. Hal. 8, 67; 10, 25; Appian. Samn. 6; Gall. 11; Ib. 98; Illyr. 9; Lib. 66; Mithr. 77; 105; 107; 116; b. c. 2, 101; Cass. Dio. frg. 12, 50, 4; 40, 41, 3; 43, 19, 3; 43, 51, 4/5; 49, 21, 3; 49, 40, 3; Zon. 7, 21; 8, 20, 2; 9, 24, 3; 9, 24, 5; 10, 4; 10, 5; 10, 27; Tacit. ann. 2, 41; Ioseph. b. Iud. 6, 9. 2; 6, 9, 4; 7, 2, 2; 7, 5, 3; Fronto. b. Parth. p. 220 N.; Sil. Ital. 17, 629—654; Gell. N. A. 15, 4, 3; Flav. Vopisc. Prob. 19; Aurel. 30; 33; Iordan. Rom. 159; 291; Mal. p. 300 D.

[6]) Plut. Aem. Paull. 31: ἀγαλλόμενος θριάμβοις.

cultum habitumque optime cognosceret. Non omnes captivi, quod haud mirum est, ante currum ducti sunt. Plerumque nobilissimi et proceritate et forma corporum florentes ex captivorum multitudine ante currum acti sunt[1]). Inprimis victori triumphanti summo erat honori principes, reges, regulos hostium ante currum ducere[2]). Hanc ignominiam capti vel captae saepius summa vi effugere conati sunt. Vel Perseus ad Aemilium Paullum misit, qui deprecarentur, ne in triumpho duceretur, sed frustra[3]). Atque Iugurtha adeo est permotus, ut ex illo die insanus fieret[4]). Neque raro manus capti sibi intulerunt, velut Cleopatra[5]). Sed tamen Cleopatrae imago in lecto portabatur ad imitationem mortuae efficta[6]). Inermes atque vincti captivi currum antecedere solebant[7]). Antonius Artavasdem cum coniuge et liberis aureis in vinculis Alexandriam introduxit[8]). Vituitus, Allobrogum rex, in triumpho

[1]) Liv. 10, 46, 4; 33, 23, 4; 34, 52, 9; 36, 40, 11; 37, 59, 6; 37, 46, 4—6; Ioseph. b. I. 6, 9, 2; 7, 5, 3.

[2]) Polyb. frg. 16, 23, 6; 30, 13, 1; Liv. 3, 29, 4; 4, 10, 7; 6, 16, 5; 33, 23, 4; 38, 60, 6; 39, 7, 2; 39, 5, 16; 40, 34, 8; 45, 40, 6; 45, 43, 6; Vell. Paterc. 1, 9, 5; 2, 4, 1; 2, 12, 2; 2, 65, 3; Flor. 2, 12, 13; 3, 2, 5; 3, 1, 17; 3, 3, 10; Liv. per. 11; 67; Eutrop. 4, 27, 6; 4, 8, 2; 6, 16, 1; Oros. 5, 15, 9; 5, 1, 9; 4, 20, 39; de vir. ill. 17, 3; 56, 3; Dion. Hal. 10, 25; Diod. frg. 31, 8, 11; Appian. Samn. 6; Gall. 11; Illyr. 9; Lib. 66; Mithr. 77; 105; 107; b. c. 2, 101; Plut. Aem. Paull. 33; 34; Mar. 12, 4; Caes. 27, 3; 55, 2; Pomp. 33, 4; 45, 4; Luc. 37, 3; Anton. 50, 2; Cass. Dio. frg. 12, 50, 4; 40, 41, 3; 43, 19, 3; 49, 40, 3; 51, 21, 8; 66, 6; Zon. 8, 20, 2; 9, 24, 3; 9, 24, 5; 10, 4; 10, 5; 10, 27; 10, 31; Ioseph. b. Iud. 6, 9, 4; 7, 2, 2; 7, 5, 3/6; Gell. N. A. 15, 4, 3; Flav. Vopisc. Aurel. 30; 33; Iordan. Rom. 291; Malal. p. 300 D.; Horat. carm. 1, 37, 30/32; Propert. 2, 1, 31; 5, 6, 66; Sil. Ital. 7, 629—654.

[3]) Plut. Aem. Paull. 34, 3. — [4]) ἐξέστη τοῦ φρονεῖν: Plut. Mar. 12, 4.

[5]) Suet. Aug. 17; Oros. 6, 19, 18; Plut. Anton. 79, 2; Cass. Dio. 51, 11, 3, Malal. p. 220 D.

[6]) Cass. Dio. 51, 21, 8; Zon. 10, 31; Plut. Anton. 86, 2.

[7]) Liv. 7, 27, 8; 26, 13, 15; 45, 40, 6; Vell. Paterc. 2, 121, 3; Cass. Dio. 43, 19, 3; Flav. Vopisc. Aurel. 33.

[8]) Cass. Dio. 49, 40, 3; Zon. 10, 27.

discoloribus in armis argenteo carpento vectus est, qualis pugnaverat [1]). In triumpho Luculli de Mithridate acto equites cataphracti conspiciebantur [2]). In Pompei pompa (a. 61 a. Chr.) ex multitudine captivorum ac piratarum nemo vinctus erat, sed suo quisque patrio cultu vestitus incedebat [3]). Vestium varietas et pulchritudo haud secus atque forma habitusque corporum oculos omnium in se convertebant [4]).

Dum triumphus senatus consulto impetratus est, imperator cum praeda et captivis ante portas stabat [5]). Honore impetrato captivi, ut iam exposui, ante currum proficiscebantur, sed ad Capitolium non ascendebant. Cum de foro in Capitolium currus flectere incipiunt, captivi in carcerem ducuntur [6]). *Idemque dies,* addit Cicero [7]), *et victoribus imperii et victis vitae finem facit.* Quo testimonio colligere nobis non licet re vera omnes, qui in triumpho ducti sunt vel reges vel principes, necatos esse. Appianus [8]) triumphantes consuesse narrat hostes in triumpho actos necare [9]). Rectius dico fieri potuisse, ut ad mortem ducerentur in triumpho acti, sed Romani ab hoc *patrio more* saepius recesserunt [10]). Patrium morem fuisse testatur Iosephus, cum ad Iovis Capitolini templum venissent, ut consisteret triumphus paulisper, dum caedes hostium principis nuntiaretur [11]). Quo facto coepisse Romanos sacra facere. Si per complures dies celebrabatur triumphus alio die signa tabulasque, alio arma, pecuniam transvexit imperator, alio captivos ostendit [12]). Exstant etiam triumphi sine captivis acti [13]). Scilicet eos tantum captivos in triumpho producere licitum est, quos triumphator ipse fecerat. Pompeius in triumpho

---

[1]) Flor. 3, 2, 5. — [2]) Plut. Luc. 37, 3. — [3]) Appian. Mithr. 116. — [4]) cf. Ioseph. b. I. 7, 5, 5. — [5]) Liv. 39, 4, 7. — [6]) cf. Zon. 7, 21. — [7]) in Verrem 5, 77. — [8]) Mithr. 107. — [9]) cf. Appian. Mithr. 105; Liv. per. 67; Sueton. Tiber. 20. — [10]) cf. P. Meyer. p. 90. — [11]) b. I. 7, 5, 6. — [12]) Flor. 2, 12, 13; Plut. Aem. Paull. 33; 34; Diod. frg. 31, 8, 11. — [13]) Liv. 31, 49, 3; 40, 38, 9; 45, 42, 2.

eos duxerat, quos Metellus in Creta ceperat. Itaque Velleius Paterculus [1]) addit non iniuste conquestum esse Metellum, *quod Pompeius captivos subduxisset*[2]). Qui capti erant a minoribus ducibus vel legatis vel tribunis militum, omnes penes eum erant, qui summam obtinebat imperii [3]). Sed gloriae cupidine caeci etiam imperatores quidam Romanorum ad fraudes dicuntur profugisse. De Caligula Suetonius hoc prodit memoriae: *praeter captivos ac transfugas barbaros Galliarum quoque procerissimum quemque et, ut ipse dicebat,* ἀξιοθριάμβευτον *ac nonnullos ex principibus legit ac seposuit ad pompam coegitque non tantum rutilare et summittere comam, sed et sermonem Germanicum addiscere et nomina barbarica ferre*[4]). Etiam Domitianus per commercia fertur emisse, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur [5]).

In auctores defectionum capitaque coniurationum Romanos gravissime animadvertisse iam supra commemoravi [6]). Hic iam ad singula transeo. Cum homines seditiosi in potestatem Romanorum veniebant, pariter atque ceteri captivi vincti mittebantur Romam. Atque cum quaestione habita elucebat sontes eos esse, in carcere adservabantur; deinde virgis caedebantur [7]). Denudatus et manibus post tergum ad palum illigatus captivus huius generis est verberatus [8]). Quo gravi supplicio principes urbium sociorum, quae incerta fide erant, maxime esse commotos atque deterritos facile est intellectu. Sed reges verberari non solebant a Romanis. Antonius primus regem palo

---

[1]) 2, 40, 5. — [2]) cf. Cass. Dio 36, 19, 3. — [3]) cf. Liv. 31, 49, 3; 45, 42, 2. — [4]) Suet. Calig. 47. — [5]) Tacit. Agric. 39. — [6]) p. 53/57.

[7]) Liv. 8, 20, 6, 7; 9, 16, 9/10; 9, 24, 13/15; 10, 1, 3; 26, 15, 7/8; 26, 16, 2/3; 28, 29, 11; 28, 19, 12; 33, 36, 3; 41, 11, 8; Cass. Dio. 49, 22, 6; Polyb. frg. 1, 7, 12: κατὰ τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθος; Zon. 8, 7; Caes. b. G. 8, 38, 5; Diod. 19, 101, 3: κατὰ τὸ πάτριον ἔθος; frg. 34, 31; Plut. Marc. 14, 1; Dion. Hal. 3, 40; 3, 58, 5, 43; 5, 51; 5, 60; 10, 21; Ioseph. b. I. 2, 13, 7; 2, 14, 9; 5, 11, 1; 7, 11, 3; 7, 5. 6; Oros. 5, 18, 26.

[8]) Liv. 5, 27, 9; 26, 15, 8; 26, 13, 15; 26, 16, 2/3; Cass. Dio. 49, 22, 6.

alligatum virgis cecidisse narratur[1]). Sed hoc unum summi momenti est verberationem esse saepissime, ne dicam semper, secutum capitis supplicium[2]). Virgis caedi atque securi percuti: haec est poena propria auctorum seditionum principumque defectionum. Sed eodem modo perfugae recepti virgis verberantur[3]). Perraro verberatio sola erat castigatio[4]). Uno loco[5]) invenio a Romanis septuaginta Numidas verberatos non esse necatos, sed manibus recisis remissos. Admirabilis in tolerandis doloribus constantiae exemplum invenimus apud Diodorum (frg. incert. 13). Romani omnium in conspectu verberationem videntur exercuisse[6]).

Etiam Poeni adhibuerunt virgas ante capitis supplicium[7]).

Alio modo ac verberibus captos excruciare alienum videtur esse a iure belli Romanorum, nisi forte tormentis cogebantur capti servorum modo arcana fateri. Exiguus est numerus eorum locorum, quibus cruciatus captorum commemorantur[8]). Excipiam foeditates bellis civilibus commissas. Quo magis Romanorum auctores exteris gentibus crudelitatem tormentorum attribuerunt. Sed homines, ut sunt prompti ad tam fabulosas res, quibus misericordia excitetur, facile fingunt, addunt, augent, ut eum, qui summis cruciatibus oppressus mortem in hostium manibus obit, quasi tollant ad deos. Tantos cruciatus, quantos auctores narrant Atilium Regulum subisse, quis est, qui credat? Iure

---

[1]) Cass. Dio. 49, 22, 6.

[2]) Liv. 8, 20, 7; 9, 16, 10; 9, 24, 15; 10, 1, 3; 26, 15, 8; 26, 13, 15; 26, 40, 13; 33, 36, 3; 41, 11, 8; Polyb. 1, 7, 12; Caes. b. G. 8, 38, 5; Diod. 19, 101, 3; 34, 31; Plut. Marc. 14, 1; Dion. Hal. 3, 40; 3, 58; 5, 43; 5, 51; 5, 60; 10, 21; Ioseph. b. Iud. 2, 14, 9; 5, 11, 1; 7, 11, 3; 7, 5, 6; Valer. Max. 9, 10, 1; Zon. 8, 7.

[3]) Liv. 24, 20, 6; 24, 30, 6; 25, 7, 14; 26, 12, 19; Plut. Marc. 14, 1.

[4]) Ioseph. b. I. 2, 13, 7; 7, 6, 4; Tacit. hist. 3, 33; cf. Polyb. 3, 62, 4.

[5]) Liv. 26, 12, 19. — [6]) Liv. 24, 20, 6; 24, 30, 6. — [7]) Liv. 22, 13, 9; 28, 37, 2. — [8]) Tacit. hist. 3, 85; Eutrop. 7, 18, 5/6; Appian. Samn. 6; Gall. 11; Oros. 6, 8, 17.

quodam Jaeger[1]) has fabulas contendit esse rhetorum saeculi primi a. Chr. n. Nam antiquissima testimonia Diodori et Polybii, quae ex Philino deprompta summa digna sunt fide, plane nihil tradunt de Reguli cruciatibus. Auctores demum, qui magno temporis spatio absunt a Reguli aetate, praebent multas et varias historiolas de morte Reguli fictas. Atque operae pretium est ostendere, quo modo, qui has fabulas tradiderunt memoriae, discrepent inter se. Alii Atilium Regulum vigiliis et fame narrant resectis palpebris illigatum in machina periisse.

Cicero: de fin. 2, 65: *vigiliis et fame.*

de fin. 5, 82: *vigiliis et inedia.*

in Pis. 43: *resectis palpebris illigatum in machina vigilando necaverunt.*

off. 3, 100: *vigilando necabatur.*

parad. 2, 16: *Nec vero ego M. Regulum aerumnosum nec infelicem nec miserum umquam putavi; non enim magnitudo animi cruciabatur eius a Poenis, non gravitas, non fides, non constantia, non ulla virtus, non denique animus ipse...*

de senect. 75: *M. Atilium, qui ad supplicium est profectus.*

pro Sest. 127: *redire ipse Karthaginem sua voluntate ad supplicium ... maluerit ...*

Valer. Max. 9, 2, ext. 1: *Karthaginienses Atilium Regulum palpebris resectis machinae, in qua undique praeacuti stimuli eminebant, inclusum vigilantia pariter et continuo tractu doloris necaverunt, tormenti genus haud dignum passo, auctoribus dignissimum.*

1, 1, 14: *non quidem ignarus, ad quam crudeles quamque merito sibi infestos* [deos] *reverteretur.*

de vir. ill. 40: *in arcam ligneam coniectus clavis introrsum adactis vigiliis ac dolore punitus est.*

Oros. 4, 10, 1: *resectis palpebris inligatum in machina vigilando necaverunt.*

---

[1]) p. 14.

Augustin. d. civ. d. 1, 15: *Inclusum quippe angusto ligno, ubi stare cogeretur, clavisque acutissimis undique confixo, ut se in nullam eius partem sine poenis atrocissimis inclinaret, etiam vigilando peremerunt.*

Haec testimonia qui contulerit, assentietur Dreschero, qui[1]) Ciceronem et Livii epitomatorem ex eodem fonte hausisse iudicat. Contra hanc coniecturam neque periochae Livii pugnant: *supplicio a Carthaginiensibus de eo sumpto periit*[2]), neque Eutropius[3]): *omnibus suppliciis extinctus est.* Unus discrepat Florus[4]): *nec ultimo sive carceris seu crucis supplicio deformata maiestas.*

Senecae duae fabulae de Reguli morte notae sunt.

de provid. 3, 8: *fingunt cutem clavi et quocumque fatigatum corpus reclinavit, volneri incumbit, in perpetuam vigiliam suspensa sunt lumina.*

de tranq. animi 15, 7: *Ego Herculem fleam, quod vivus uritur, aut Regulum, quod tot clavis transfigitur?*

epist. mor. 7, 5, 9: *vita autem honesta actionibus variis constat: in hac est Reguli arca.*

At epist. mor. 16, 3, 12 commemorat crucem Reguli.

Appianus narrat de Regulo arca incluso.

Lib. 4: αὐτὸν οἱ Καρχηδόνιοι καθείρξαντες ἐν γαλεάγρᾳ κέντρα πάντοθεν ἐχούσῃ διέφθειραν.

Lib. 63: ἔκτειναν δὲ καὶ Ῥῆγλον αἰκισάμενοι, στρατηγὸν ἕτερον ἡμῶν, ὑπ᾽ εὐορκίας ἐπανελθόντα πρὸς αὐτούς.

Sic. 2, 1: ἔκτειναν οἱ Καρχηδόνιοι, κέντρα σιδήρεα σανίσιν ἐνηρμοσμένα πάντοθεν ἑστῶτι περιθέντες, ἵνα μηδαμόσε δύναιτο ἐπικλίνεσθαι.

Idem tradit Silius Italicus: 6, 539 squ.:

Praefixo paribus ligno mucronibus omnes
Armantur laterum crates, densumque per artem
Texitur erecti stantisque ex ordine ferri
Infelix stimulus, somnisque hac fraude negatis

---

[1]) p. 42. — [2]) Liv. per. 18. — [3]) Eutrop. 2, 25. — [4]) Flor. 1, 18, 25.

Quocumque inflexum perducto tempore torpor
Inclinavit iners, fodiunt ad viscera corpus.

Sed etiam Regulum cruci affixum Silius Italicus his versibus celebrat 2, 343/344: *vidi, cum robore pendens Hesperiam cruce sublimis spectaret ab alta.*

2, 435/436: *Iuxta triste decus pendet sub imagine poenae*
Regulus et fidei dat magna exempla Sagunto.

Crucem igitur Reguli commemorant: Seneca, Florus, Silius Italicus.

Quos supplicii modos alii narraverint, tradit Gellius: N. A. 7, 4: *Tubero: in atras, inquit, et profundas tenebras eum claudebant ac diu post, ubi erat visus sol ardentissimus, repente educebant et adversus ictus solis oppositum continebant atque intendere in caelum oculos cogebant. Palpebras quoque eius, ne conivere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant.*

Tuditanus: *venenum sibi* (sc. Regulo) *Carthaginienses dedisse, non praesentarium, sed eiusmodi, quod mortem in diem proferret, eo consilio, ut viveret quidem tantisper, quoad fieret permutatio, post autem grassante sensim veneno contabesceret.*

Sed quamvis Atili Reguli mors obscura maneat atque nos nunc legamus fabulas a rhetoribus exornatas, Poenos cruciavisse saepius captos hostes atque stimulos et flammas adhibuisse etiam aliis locis et aliis temporibus narrant scriptores neque infitias ire licebit haec testimonia habere aliquid veri [1]).

Etiam Galli sibi non temperasse dicuntur, quin captos interdum fame vinculisque excruciarent [2]).

---

[1]) Diod. frg. 25, 3; 25, 10; 26, 14, 2; Zon. 9, 2, 5; Polyb. 1, 79, 4; 1, 80, 4; 1, 81, 4; 1, 86, 4; 1, 88, 6.

[2]) Caes. b. G. 5, 45, 1; 7, 20, 9; 7, 38, 8.

Iugurtha veritus non est Adherbalem fratrem excruciatum necare[1]).

Mithridates vero Aquili in os Pergami aurum liquefactum infudit[2]).

Mutilare atque detruncare vivos captivos iure belli licitum non est. Excipiuntur perfugae et speculatores, qui saepius manibus recisis remittebantur[3]). Tamen etiam captivis manus amputatas esse comperimus, quod valde contra consuetudinem pugnat[4]). Sed hoc tam saevo more Romani usi sunt in hostes barbaros ferosque, qui vix alio modo nisi summa duritia poterant domari. Atque interdum Romanos tam foede praeter ius belli in hostes animadvertisse intellegemus, non ignoscemus, si cognoverimus, quanta foeditate ab hostibus Romanorum, non barbaris tantum, in captos saevitum sit[5]).

Thraces summa crudelitate immolaverunt homines atque tanta erant saevitia, ut nisi *suis moribus* domari non possent[6]). Eorum rex, Diegylis, ex captivis nobilissimum quemque novis atque inauditis suppliciis affecit. Praecisa enim filiorum capita, manus, pedes ex parentum collo suspendebat ferenda virorumque ac mulierum membra amputata permutabat; nonnullos etiam manibus mutilatos dissecabat per spinam dorsi, interdum abscissa membra contis praefigebat[7]).

Germanos traditum est captis hostibus oculos effodisse, manus amputasse, linguas rescidisse, ora obsuisse[8]).

---

[1]) Sall. Iug. 26, 3. — [2]) Appian. Mithr. 21.

[3]) Liv. 22, 33, 1; 26, 12, 19; Valer. Max. 2, 7, 11; Front. strateg. 3, 16, 4; Appian. Hann. 43; Num. 3; Zon. 9, 6, 5; Vulcac. Gallic. Avid. Cass. c. 4.

[4]) cf. Flor. 3, 4, 7; 4, 12, 37; Cass. Dio. 53, 29, 2; 51, 25, 4; Appian. Mithr. 29; Ib. 68; 94; Oros. 5, 4, 12; 6, 11, 29/30; Caes. b. G. 8, 44, 2.

[5]) cf. Flor. 3, 4, 7; 4, 12, 37; Cass. Dio. 53, 29, 2.

[6]) Flor. 3, 4, 7. — [7]) Diod. frg. 33, 14; 33, 15. — [8]) Flor. 4, 12, 37.

Poenorum mercennarii rebellantes captis manus, aures, nares dissecuerunt membraque fregerunt, Carthaginiensium socios remiserunt praecisis manibus[1]). Quae Poeni dicantur commisisse in Regulum captum, alio loco enarravi[2]), Hamilcar principem quendam in Hispania fertur luminibus orbasse[3]), Hannibal quondam captivos oneribus et itinere confectos prima pedum parte succisa reliquisse[4]). Sed quisnam praestat haec vera esse? Facilius enim historiolae pervagantur quam historiae. Sed ad summam crudelitatem progressi sunt Carthaginienses maximo periculo oppressi bello Punico tertio. Hasdrubal[5]): ἐπὶ τὸ τεῖχος ἀγαγών (sc. captivos), ὅθεν εὐσύνοπτα Ῥωμαίοις ἔμελλε τὰ δρώμενα ἔσεσθαι, τῶν μὲν ὀφθαλμοὺς ἢ γλώττας ἢ νεῦρα ἢ αἰδοῖα σιδηρίοις ἐξεῖλκε καμπύλοις, τῶν δ'ὑπέτεμνε τὰ πέλματα καὶ τοὺς δακτύλους ἐξέκοπτεν, ἢ τὸ δέρμα τοῦ λοιποῦ σώματος ἀπέσπα, καὶ πάντας ἔμπνους ἔτι κατεκρήμνιζεν, ἀδιάλλακτα τοῖς Καρχηδονίοις τὰ ἐς Ῥωμαίους ἐπινοῶν.

Syri fugitivi non solum captivorum manus ad internodia, sed cum bracchiis abscindebant[6]).

Mithridates perfugas receptos effossis oculis in crucem agebat et vivis adhuc ignem subiciebat[7]).

Neque Pharnaces abstinuit ab eiusmodi crudelitatibus[8]).

Antigonus Hyrcano tradito aures abscidit, eo animo, ne ad pontificatum perveniret, quod mutilatus esset, cum lex Iudaeorum id munus vellet integrorum esse[9]).

Incredibiles quaedam crudelitates de Britannis memoriae sunt proditae[10]).

Licentia bellorum civilium, quibus ius belli, ut saepius atque iterum videmus, quasi sepultum est, apud Romanos etiam usum captos non mutilandi perrupit. Vix

---

[1]) Polyb. 1, 80, 13; 1, 81, 4; Diod. frg. 25, 3. — [2]) p. 78/80. — [3]) Diod. frg. 25, 10. — [4]) Valer. Max. 9, 2 ext. 2. — [5]) Appian. Lib. 118. — [6]) Diod. frg. 34, 8. — [7]) Appian. Mithr. 97. — [8]) Appian. b. c. 2, 91. — [9]) Ios. ant. Iud. 14, 13, 10. — [10]) Cass. Dio. 62, 7.

credibile est, quanta feritate quasi bestiarum ritu Sulla iussisse narretur captivos laniari et manibus cruribusque effractis aliquamdiu servari, ut per singula membra morerentur [1]). Neque veritus est Sulla Marium quendam, senatorii ordinis virum, cruribus bracchiisque fractis auribus praesectis effossis oculis necare [2]).

Magnam captivorum multitudinem non esse capite damnatam, sed auctores tantum defectionum et foederum ruptores, iam supra demonstravimus [3]). Variis supplicii generibus utebantur Romani et maxima testimoniorum copia instruimur de hac re [4]).

Perraro evenit, ut caedis libidine commoti, ut ita dicam, victores bello captos necarent. Sed iis locis, quibus de multitudine captorum supplicium esse sumptum legimus, plerumque necessitas quaedam belli interlucet. Ad tantas duritias recedendum erat nonnumquam, ut gravi exemplo edocti ceteri hostes quam celerrime ad deditionem venire cogerentur [5]). Itaque Hannibal Taurasia capta: τοὺς μὲν αἰχμαλώτους ἔσφαξεν ἐς κατάπληξιν τῆς ἄλλης Κελτικῆς [6]). Sed eadem re etiam contrarium consequebantur. Nam in urbe obsessi, si summa crudelitate necaverant hostes captos, prohibiti ab omni veniae spe hoc modo defensores ad ultimam fortitudinem excitaverunt. Ita enim nihil iis relinquebatur nisi mors aut victoria. Qua ra-

[1]) Flor. 3, 21, 26. — [2]) Liv. per. 88; cf. Oros. 5, 21, 7. — [3]) p. 76/77.

[4]) Liv. 8, 20, 6/7; 8, 20, 10; 9, 31, 2/3; 29, 3, 4; 29, 8, 2; 32, 26, 16; 34, 21, 6; 41, 18, 3; Oros. 6, 8, 17; 7, 37, 16; 6, 19, 20; 4, 17, 12; 4, 7, 9; Dion. Hal. 2, 54; 3, 31; 3, 40; 5, 49; 6, 91; Appian. b. c. 1, 71 squ.; 1, 87; 1, 94; 2, 100; 4, 73; 3, 98; 5, 48; 5, 144; Mithr. 77; Ib. 100; Hann. 43; Num. 3; Illyr. 21; Plut. Pomp. 20, 4; Caes. 53, 3; Sert. 27, 2/3; Mar. 43/44; Caes. b. G. 3, 16, 4; 7, 38, 8; b. c. 3, 112; Tacit. hist. 4, 2; Sueton. Aug. 13; Ioseph. b. Iud. 6, 9, 2; Cass. Dio. 39, 43, 5; 42, 39, 2; 43, 12, 2; 44, 45, 5; 49, 12, 4; 51, 2, 4; 51, 16, 1; Zon. 8, 7; 9, 6; 10, 2; 10, 10; 10, 25; Flav. Vopisc. Aurel. 30.

[5]) Polyb. 3, 60, 10; Zonar. 8, 24, 7. — [6]) Appian. Hann. 5.

tione mercennarii Poenorum rebellantes summam excitaverunt iram ac studium [1]). Hasdrubal quoque, cum Carthago ipsa vocata esset in summum discrimen, omnes Romanorum captivos interfecit: ὅπως ἀπόγνωσιν συγγνώμης σχόντες οἱ Καρχηδόνιοι προθυμότερον ἀντικαρτερήσωσιν [2]). Necessitate belli adductus Spartacus captivos ad unum interfecit iumentis quoque iugulatis, quo fieret expeditior [3]). Neque mirum est, quod ii, qui in itinere resistebant atque conviciis maledictisque molesti erant, imperatoris iussu necati sunt [4]). Idem fieri poterat, si duci, qui multos captivos secum trahebat, in angustiis presso periculum erat, ne capti rebellarent exercituique perniciem praeberent. Hannibal a Fabio Maximo per insidias circumdatus quinque milia captivorum fertur occidi iussisse· ἵνα μὴ ἐν τῷ κινδύνῳ νεωτερίσειαν [5]). Ad idem tam crudele remedium Hannibalem recessisse constat, qui, cum post pugnam Cannensem nihil intermisisset, quin Romanis captos parvo pretio redimendos offerret, nescius, cuinam venderet homines, haud immemor, quod periculum tantus hominum confluxus exercitui expedito praeberet, multos occidi iussit [6]). Brutus, cum ad Philippos in castris multos captivos haberet neque inveniret, quonam modo eos proelii tempore custodiret aut qua ratione nullum maleficium eos perpetraturos esse fidem ipsis haberet, maiorem partem eorum interemit, necessitati etiam praeter animi sententiam serviens (τῇ ἀνάγκῃ καὶ παρὰ γνώμην δουλεύσας) eoque id facilius, quod captivi ex suo exercitu ab hostibus erant occisi [7]). Plutarchus [8]) memoriae servavit Brutum de captivis servilem multitudinem,

---

[1]) Polyb. 1, 79, 4; 1, 81, 4; 1, 80, 11. — [2]) Zon. 9, 29, 9. — [3]) Appian. b. c. 1, 117. — [4]) Plut. Brut. 45, 4.

[5]) Appian. Hann. 14; Zonar. 8, 26, 1: ἵνα μή τις αὐτῶν διαφυγῇ καὶ τὸ γινόμενον γνωρίσῃ τοῖς Ῥωμαίοις, κατέσφαξεν.

[6]) Eutrop. 3, 11, 1; Plut. Marc. 13, 4; Zon. 9, 2, 5.

[7]) Cass. Dio. 47, 48, 3.

[8]) Brut. 45, 3.

quae haud sine suspicione armatis se immisceret, necari iussisse.

Sed etiam multa satis fabulosa traduntur. Minime enim verisimile est, Hannibalem in flumine Vergello corporibus Romanis ponte facto exercitum traduxisse[1]). Idem facinus dicitur commisisse Sapores, Persarum rex. Cum in reditu in profundam vallem incidisset, per quam iumentis transitus non patebat, captivos interfici et in vallem abici eum iussisse: itaque complanata valle per cadavera iumenta traduxisse fertur[2]).

Per errorem indiligentiamque interdum sumebantur supplicia: *Cum senatus Campanorum deligatus esset ad palos, ut securi feriretur, litteras a senatu missas Q. Fulvius consul, quibus iubebatur parcere, antequam legeret, in sinu posuit et lege agi iussit et supplicium peregit*[3]). Huc pertinet mors Sexti Pompei. Antonius primo summa incensus ira mandavit, ut Pompeius interficeretur, paulo post paenitentia captus salute eum donari iussit. Sed cum priorem tabellarium posterior praevenisset, Tito serius eae litterae sunt redditae, quibus necare Pompeium iubebatur. Has litteras vel scriptas omnino posterius esse ratus vel cognita quidem rei veritate fidem tamen habere nolens, ordinem litterarum, ut sibi redditae erant, sententiam secutus non est[4]).

Ceterum hoc unum valet Romanos semper fecisse discrimen cum pro ordine cuiusque et auctoritate[5]), tum pro sceleris magnitudine. Pirata vel praedo captus, servus, fugitivus, perfuga recepti, speculator comprehensus, digni erant, qui ad supplicii genus ducerentur ignominiosius quam senatores vel principes vel reges[6]). Iure ac merito indul-

---

[1]) cf. Valer. Max. 9, 2 ext. 2; Appian. Hann. 28. — [2]) Zon. 12, 23. — [3]) Liv. 26, 15—16; Liv. per. 26. — [4]) Cass. Dio. 49, 18, 2; Zon. 10, 25. — [5]) Liv. 3, 18, 10. — [6]) Plut. Pomp. 29, 1; Cass. Dio. frg. 26, 89, 1; Appian. Lib. 39: ἔθος τοὺς κατασκόπους κτείνειν; Cic. in Verr. 5, 68: custodiri ducem praedonum novo more; Plut. Marc. 14, 1; Cat. mai. 11, 2.

gentia carebant ii, qui iam ante capti remissi erant, sed iterum in manus eiusdem hostis inciderant[1]). Bellis quae vocantur civilia, supplicia saepissime exercebantur. Omitto enumerare omnia. Inter crudelitates saevitiasque interlucent libido, licentia, ulciscendi cupido. Iulius Caesar in ulciscendo videtur natura lenissimus fuisse[2]). Sed Augustus et sorti et ludo vitam civium commendavit. Patrem et filium pro vita rogantes sortiri vel micare dicitur iussisse, ut alterutri concederetur[3]).

Seditionum auctores, cum principes ducesque gentium essent, — excipiam servorum tumultus — plerumque haud ignobili loco erant nati. Itaque supplicio, ut ita dicam, honesto afficiebantur. Securi percussos eos esse invenio[4]). Virgis caesi sunt, priusquam in foro omnium in conspectu supplicium sumptum est hoc modo: Consul cum in tribunali consedisset[5]), producebantur, quibus praesto erat supplicium. Iam audiebatur praeconis vox citantis nomina damnatorum[6]). Deinde consul imperabat praeconi, ut lictorem lege agere iuberet[7]). Etiam lictori ipsi hoc poterat imperare[8]). Nudi in medium protrahebantur condemnati et simul omnis apparatus supplicii expromebatur; deligati

---

[1]) Cass. Dio. 41, 62, 2. — [2]) Suet. Caes. 74. — [3]) Suet. Aug. 13.

[4]) Liv. 2, 17, 6; 4, 10, 6; 6, 10, 5; 7, 19, 2; 9, 16, 9/10; 9, 24, 13/15; 10, 1, 3; 23, 37, 12; 26, 16, 6; 26, 27, 7; 26, 33, 2; 26, 33, 9; 26, 15, 8; 26, 40, 13; 39, 37, 11; 39, 32, 4; 41, 11, 8; 43, 4, 8—13; Flor. 2, 5, 4; Appian. Ib. 36, 68; bell. Hisp. 21: fautores Caesaris victoriae; Valer. Max. 9, 10, 1; Caes. b. G. 8, 38, 5: princeps sceleris illius et concitator belli; Cass. Dio. 49, 22, 6; Diod. 19, 101, 3: ῥαβδίσας ἐπελέκισε κατὰ τὸ πάτριον ἔθος; Dion. Hal. 3, 58; 5, 43; 5, 60; 10, 21; Ioseph. ant. Iud. 14, 4, 4: τοὺς αἰτίους τοῦ πολέμου; b. I. 1, 7, 6; Malal. p. 300 D.; Oros. 5, 18, 26; 6, 6, 4; Plut. Ant. 36, 2; 82, 1; 87, 1; Polyb. 1, 7, 12: κατὰ τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθος ἐπελέκισαν; Tacit. ann. 4, 24; Zon. 10, 31.

[5]) Liv. 26, 15, 8.

[6]) Liv. 28, 29, 11.

[7]) Liv. 26, 15, 9; 26, 16, 3.

[8]) cf. Liv. 1, 26, 8; 8, 7, 20.

sunt ad palum, virgis caesi, securi percussi, tracti inde de medio omnes, locus ipse purgabatur [1]). Eodem die, quo in triumpho ducebantur captivi, necari solebant [2]). Sed mos non erat, ut reges securi percuterentur. Antigonus, rex Iudaeorum — is, qui in Antonii manus pervenit — primus fuisse fertur, qui Antiochiam perductus hoc supplicii genere vitam finivit [3]).

Alterum supplicii genus erat strangulatio, quae fiebat in carcere [4]).

Cruci affigi summam praebebat ignominiam: hoc erat vere servile supplicium. Servi, qui rebellione facta comprehensi erant, latrones, praedones, perfugae, speculatores recepti affici solebant hac poena [5]). Itaque novum erat atque inauditum, quod Florus quidam Hierosolymis viros equestris ordinis cruci affixit, quorum etsi origo Iudaica, dignitas tamen erat Romana. Iosephus addit hoc nullum Romanum prius unquam esse ausum [6]). Crucibus persaepe usi sunt Vespasianus et Titus, cum Iudaeos summa vi pacare sunt conati. Neque certum est, an ad hanc crudelitatem recesserint, quod Iudaei resistebant pertinacia quadam omnium opinione vehementiore atque ultimis tantum remediis ad deditionem poterant cogi. Iotapatenorum cuiusdam perseverantiam et constantiam iam

---

[1]) Liv. 28. 29, 11.

[2]) Cic. in Verr. 5, 77; Liv. per. 11; Cass. Dio. 51, 2, 2; 40, 41, 3; 43, 19, 4; Ioseph. b. I. 6, 9, 4; 7, 5, 6.

[3]) Ios. ant. Iud. 15, 1, 2; Plut. Ant. 36, 2.

[4]) Liv. 26, 13, 15; Liv. per. 67; Eutrop. 4, 20, 2; 4, 27, 6; 7, 18, 5/6; Appian. Mithr. 105; Strab. 14, 1, 38 p. 646; Oros. 5, 1, 9; 5, 15, 19; 5, 10, 5; Zon. 7, 21; 9, 30; Capitol. XXX tyr. 21: strangulatus in carcere captivorum veterum more.

[5]) Liv. 22, 33, 2; 30, 43, 13; 33, 36, 3; Vell. Paterc. 2, 42, 3; Flor. 3. 19, 8; Cass. Dio. 49, 12, 4; b. Hisp. 20; Val. Max. 2, 7, 12; Appian, Mithr. 29; b. c. 1, 119; 120; Plut. Caes. 2, 2; Dion. Hal. 5, 51; Oros. 5, 9, 4..

[6]) Ioseph. b. I. 2, 14, 9.

supra commemoravi[1]). Iosephus testatur Titum ante Hierosolymorum moenia Iudaeum quendam cruci affigi iussisse eo animo, ut reliqui hoc spectaculo exterriti paulum se inclinarent[2]). Atque Tito miseranda videbatur talis calamitas, cum Iudaei in dies singulos quingenti, nonnumquam etiam plures caperentur: sed, quia tutum non esse sibi persuasit vi captos dimittere neque multitudinem custodire potuit, eos cruci figi non prohibebat, quod ipsos hoc conspectu perterritos deditionem facturos esse speravit, quasi similia passuros, nisi se dederent. Milites autem ira aut odio incensi cruci affigebant captos modis diversis ludibrii causa et propter multitudinem spatium crucibus deerat et corporibus cruces[3]).

Iam prius Quinctilius Varus ad duo milia Iudaeorum rebellantium in cruces sustulit[4]). Hoc supplicio Poeni non servos tantum, sed summos aeque atque infimos afficere solebant[5]). Bello Poenorum cum mercennariis coniuratis gesto magis magisque utraque pars in conspectu hostium bello captos crucibus affixerat[6]). Neque alienum erat hoc supplicii genus a populis orientis[7]). Erat clementiae prius iugulatos cruci affigi[8]).

Proximum est, ut mentionem faciam captivorum patibulo affixorum, quod supplicium non minus erat ignominiosum. Patibulis pro crucibus persaepe utebantur Germani[9]). Neque silentio transeundum esse puto a Germanis captivos laqueis collo inditis ex arboribus suspensos esse[10]). Idem fecit Diegylis, Thracum rex[11]).

---

1) p. 64. — 2) Ioseph. b. I. 5, 6, 5. — 3) Ioseph. b. I. 5, 11, 1.
4) Ioseph. ant. Iud. 17, 10, 10; b. I. 2, 5, 2.
5) Polyb. 1, 11, 5; Iustin. 18, 7, 15; 22, 7; Liv. 22, 13, 9; 28, 37, 2; per. 17; Plut. Fab. Max. 6; Silius Ital. 1, 153; Flor. 2, 2, 25.
6) Polyb. 1, 79, 4; 1, 86, 4; 1, 86, 6; Diod. frg. 25, 5, 2; 25, 10; 26, 23.
7) Appian. Mithr. 97. — 8) Suet. Caes. 74. — 9) Tacit. ann. 1, 61; 4, 72; 14, 33. — 10) Oros. 5, 16, 6. — 11) Diod. frg. 33, 15.

Neque minus turpe erat Romae de saxo deici, qua poena Romani afficiebant capite puniendos servos perfugasque antea virgis caesos [1]).

Hasdrubal quoque in summo discrimine Carthaginis obsessae captivos Romanos ante mutilatos excruciatosque de moenibus deiecit, ut omnem sponsionis spem dirimeret [2]).

Gravissimum supplicii genus erat igni necari; ad quod Romani perraro profugerunt: eos tantum igni admoverunt, qui magnum commiserant facinus.

Ignibus necabantur capti a Poenis saepius quam a Romanis. Hannibal Dasii cuiusdam, defectionis principis, mulierem et liberos vivos iaci in flammas iussit summo odio in proditorem incensus [3]). Eodem modo punivit Tisiensium principes, qui perfidi socii Poenorum praesidium interfecerant neque Romanos accipere dubitaverant [4]). Quid mirum, quod Vespasianus Ionathan, qui Iudaeus Cyrenensis falso indicio pollutus erat sanguine trium milium Iudaeorum, summa ira commotus iussit comburi [5])? Sed longe distat, quod Titus in honorem Domitiani fratris multos Iudaeos igni cremavit [6]). Mithridates vero perfugas receptos quondam in crucem effossis oculis agebat et vivis adhuc ignem subiciebat [7]). Piratae quoque saepius captos in ignem vivos videntur imposuisse [8]). Denique addam, quae Procillus, qui a Germanis captus ad Caesarem fugiens venit, de his narravit, nisi forte quis putat hoc potius ad immolationes pertinere: *se praesente de se ter sortibus consultum, utrum igni statim necaretur an in aliud tempus reservaretur: sortium beneficio se esse incolumem* [9]).

Alienum erat a consuetudine Romanorum veneno uti ad captivos puniendos, quem morem apud Graecos

---

[1]) Liv. 24, 20, 6; Diod. frg. 34, 2, 21.

[2]) ἀδιάλλακτα τοῖς Καρχηδονίοις τὰ ἐς Ῥωμαίους ἐπινοῶν Appian. Lib. 118.

[3]) Appian. Hann. 31. — [4]) Appian. Hann. 44. — [5]) Ioseph. b. I. 7, 11, 3. — [6]) Ioseph. b. I. 7, 3, 1. — [7]) Appian. Mithr. 97. — [8]) Senec. de clem. 2, 4, 2. — [9]) Caes. b. G. 1, 53, 6.

diu remansisse satis constat[1]). Poenos Atilio Regulo venenum dedisse, non praesentarium, sed eius modi, quod mortem in diem proferret eo consilio, ut viveret quidem tantisper, quoad fieret permutatio, reicio ad fabulas[2]). Veneno uti in hostem nequaquam defenditur belli iure, quod manifeste colligi potest ex his Flori verbis: *Aquilius* (a. 129 a. Chr.) *Asiatici belli reliquias confecit, mixtis — nefas — veneno fontibus ad deditionem quarundam urbium. Quae res ut maturam, ita infamem fecit victoriam, quippe cum contra fas deum moresque maiorum medicaminibus inpuris in id tempus sacrosancta Romana arma violasset*[3]).

Lapidibus captivi a Romanis obruti non sunt. Ad hanc crudelitatem progressi sunt mercennarii Poenorum et Graeci[4]).

Reliquum est, ut colligam ea supplicii genera, quibus duces vel populi praeter Romanorum morem usi sunt. Atque ut principium detur summae saevitiae: Mercennarii Poenorum iecerunt captos ante mutilatos in fossam, obiciebant elephantis vel bestiis, denique vescebantur captorum corporibus[5]). Sed cum milites, qui defecerant a Carthaginiensibus, omnem ferocitatis modum transgressi essent, Hamilcar, qui antea humanitate eminebat, eandem in captos crudelitatem exercere coactus est. Itaque captivos prius cruciatos elephantis obiciebat, ut ab his calcati misere interirent[6]). Quod P. Cornelius Lentulus quondam in senatu dixit Romanos quoque captivos a Poenis esse obiectos elephantis, utrum verum sit necne, in dubio relinquam propterea, quod oratio tam hostili animo in senatu habita testimonium certum minime praebet[7]). Taceam hoc

---

[1]) Liv. 39, 50, 7; Polyb. frg. 24, 8/9; Iustin. epit. 32, 1, 9; Plut. Philop. 20.

[2]) Gell. N. A. 7, 4, 1 s. Tuditanum. — [3]) Flor. 2, 20, 7. — [4]) Polyb. 1, 80, 4—8; Plut. Phil. 21, 8. — [5]) Polyb. 1, 80, 13; 1, 85, 1; Diod. frg. 25, 3. — [6]) Diod. frg. 25, 3; Polyb. 1, 82, 2; 1, 84, 9. — [7]) App. Lib. 63.

loco de morte satis fabulosa Metti Fufeti, quem fama pervagatur quadrigis religatum in diversa distractum esse[1]. Britomaris quoque, Senonum dux, legatos Romanorum turpiter captos dissecuisse fertur membraque dissipasse[2], Acerranorum senatum scriptum videmus ab Hannibale extra moenia evocatum in profundum puteorum abiectum obrutumque esse[3]. Post pugnam Cannensem captorum permutatione negata Hannibalem captivorum corporibus fluminis alveum explevisse sine dubio finxerunt[4]. Nucerinos Hannibal hortatu suo cum binis vestimentis urbem inexpugnabilibus muris cinctam egressos vapore et fumo balneorum strangulasse fertur[5].

Iaculis confixos esse bello captos saepius legimus. Metellus Thraces ac Ligures transfugas a Iugurtha redditos partim manibus truncavit, partim in terram usque ad ventrem defodit; tum vero sagittis et iaculis ab circumstante exercitu confixos spirantesque etiam tum admoto igni concremavit[6]. Etiam Sulla supra octo milia hominum, quia maior pars captorum Samnites erant, iaculatoribus conficienda obiecit[7]. Eodem anno, postquam Praeneste cepit, inermes Sulla iussit prodire in campum: quo facto exemptis nonnullis, quorum fideli opera aliquando usus fuerat, reliquos divisit trifariam. Postquam alio Romani, alio Samnites, alio Praenestini secesserunt, Romanis per praeconem monitis commeruisse ipsos quidem mortem, sed tamen veniam habituros esse; ceteros omnes configi iaculis

---

[1]) Liv. 1, 28; Dion. Hal. 3, 30.

[2]) Appian. Samn. 6; Gall. 11.

[3]) Valer. Max. 9, 6 ext. 2; Cass. Dio. frg. 15, 57, 34; Appian. Lib. 63.

[4]) Appian. Hann. 28; Lib. 63.

[5]) Valer. Max. 9, 6 ext. 2; Appian. Lib. 63; Cass. Dio. 15, 57, 34; Zon. 9, 2, 11.

[6]) Appian. Num. 3.

[7]) Appian. b. c. 1, 93.

iussit: mulieres et pueros dimisit incolumes[1]). Etiam I u b a rex captos sub moenibus collocatos telis confixit[2]).

Iam venimus ad taeterrima supplicia. Ex hoc genere Vitelli imperatoris saeva atque miseranda mors est. *Religatis post terga manibus, iniecto cervicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forum tractus est inter magna rerum verborumque ludibria, per totum viae Sacrae spatium, reducto coma capite, ceu noxii solent, atque etiam mento mucrone gladii subrecto, ut visendam praeberet faciem neve summitteret; quibusdam stercore et caeno incessentibus, aliis, ,incendiarium' et ,patinarium' vociferantibus, parte vulgi etiam corporis vitia exprobrante. — Tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus atque confectus est, et inde unco tractus in Tiberim*[3]). Vel inter has crudelitates dictu audituque horridae sunt, quae Scordisci dicuntur egisse in captivos. *Raptis, cum poculo opus esset, humanorum capitum ossibus cruentis capillatisque adhuc ac per interiores cavernas male effosso cerebro oblitis avide ac sine horrore tamquam veris poculis utebantur*[4]). Sub Traiano imperatore factum esse memoriae proditur, ut Iudaei Cyrenenses carnibus captorum vescerentur, redimirent se visceribus, oblinerentur sanguine, pellibus induerentur. Multos a vertice eos serris dissecuisse additur, bestiis multos obiecisse, multos inter se certare coegisse, ut interirent ad ducenta viginti milia hominum. Similia multa esse commissa in Aegypto et Cypro[5]). Sed haec non videntur similia veri, immo falso Iudaeis crimini data.

Sed longum est omnes eiusmodi crudelitates enumerare. Tamen pauca verba tribuam iis suppliciis, quae exercebantur in m a r i. Carthaginienses milites Romanorum maritimo certamine quodam in potestatem redactos navibus substraverunt, ut earum carinis ac pondere elisi inusitata

---

[1]) App. b. c. 1, 94. — [2]) App. b. c. 2, 46. — [3]) Sueton. Vitell. 17; Oros. 7, 8, 8. — [4]) Flor. 3, 4, 2/3; Oros. 5, 23, 18. — [5]) Cass. Dio. 68, 32.

ratione mortis barbaram feritatem satiarent, taetro facinore pollutis classibus ipsum mare violaturi[1]). Piratae Pompei aetate eum captum, quem vendere non poterant, medium in mare scalam protendentes abire ac valere iusserunt, et si quis descendere nollet, vi impulsum merserunt[2]).

Quicumque in hostium manus venit, ei libertate privato servitus patienda erat. Quin etiam dicere licet vocem captivi per se eandem habere vim ac servi[3]). Pomponius docet: *Servorum appellatio ex eo fluxit, quod imperatores nostri captivos vendere ac per hoc servare nec occidere solent*[4]). Atque id, quod Romani aequum esse censebant, si quis hostium in eorum manus inciderat, valebat, si quis Romanorum in hostium captivitatem veniebat.

Dionysius Halicarnassensis, quo modo servitus sit orta, in hunc modum exponit[5]): ἐτύγχανον δὴ τοῖς Ῥωμαίοις αἱ τῶν θεραπόντων κτήσεις κατὰ τοὺς δικαιοτάτους γινόμεναι τρόπους· ἢ γὰρ ὠνησάμενοι παρὰ τοῦ δημοσίου τοὺς ὑπὸ δόρυ πωλουμένους ἐκ τῶν λαφύρων, ἢ τοῦ στρατηγοῦ συγχωρήσαντος ἅμα ταῖς ἄλλαις ὠφελείαις καὶ τοὺς δοριαλώτους τοῖς λαβοῦσιν ἔχειν, ἢ πριάμεοοι αὐτοὺς παρ' ἑτέρων κατὰ τοὺς αὐτοὺς τρόπους κυρίων γενομένων, ἐκέκτηντο τοὺς δούλους.

Ex hac servitutis condicione, ad quam bello capti redigebantur, perfacile est intellectu, qua ratione in captivos usi sint Romani.

Cum quo bello cives Romani, qui in hostium potestatem venerant, recepti atque servitute exempti in pristinum statum restituti erant, in ducis triumpho sequi currum

---

[1]) Valer. Max. 9, 2 ext. 1. — [2]) Plut. Pomp. 24, 5; Zon. 10, 3.

[3]) Polyb. 9, 42, 2; 10, 38, 2; 15, 4, 2; 15, 24, 1; 15, 23, 3; 15, 23, 9; 23, 8, 9; 33, 8, 3; Liv. 1, 39, 5; 2. 22, 7; 4, 3, 12; 10, 35, 11; 22, 60, 15; 30, 19, 7; 32, 22, 10; 38, 24, 3; Oros. 4, 20, 3; Diod. frg. 23, 9; Dion. Hal. 8, 19; 10, 20; Plut. Coriol. 10, 3; Cass. Dio. frg. 14, 57, 4; 54, 21, 3; Zon. 8, 23, 8; Caes. b. G. 1, 11, 3; 1, 51, 3; Ioseph. b. Iud. 2, 5, 1; 2, 16, 4; 3, 7, 1.

[4]) Dig. 50, 16, 239. — [5]) 4, 24.

solebant capitibus rasis et pilleos gestantes. Qui mos erat servorum, cum manumittebantur [1]).

Haud raro hostes, cum venissent in summum discrimen atque nulla remaneret spes salutis, mortem voluntariam dedecori captivitatis praeferebant atque a servorum sorte, quae morte gravior videbatur, igni, ferro, fame, suspendio venenoque se vindicabant [2]). Alii ipsi, alii invicem manus sibi intulerunt [3]). Etiam feminae, inprimis Germanorum, praebebant exempla admirabilis fortitudinis [4]). Piratae capti navigia, quibus transportabantur, ipsi in mare quondam merserunt, ut servitutem effugerent [5]).

Cum in servorum statum captivi redigerentur, aequum

---

[1]) Liv. 34, 52, 12; Liv. per. 30; Valer. Max. 5, 2, 6; Plut. Flamin. 13, 6; Oros. 4. 19, 6; 4, 20. 3.

[2]) Flor. 4, 12, 50; Oros. 2, 14, 22; 5, 16, 16—19; 5, 14, 6; 5, 24, 3; Cass. Dio. 49, 35, 4; 41, 40, 2; 68, 12; 77, 14, 2; Zon. 10, 10; Caes. b. G. 8, 44, 2; Diod. 19, 76, 5; frg. 34, 4; 37, 27, 1/2; Appian. Ib. 96; 97; Plut. Caes. 53, 3; Ioseph. ant. Iud. 14, 13, 10; b. Iud. 6, 9, 2; Zosim. 1, 59; Malal. p. 220 D.

[3]) Diod. frg. 34, 4; 36, 10, 3.

[4]) Oros. 5, 24, 3; 5, 16, 16—19; Cass. Dio. 77, 14, 2.

[5]) App. Ib. 77.

[6]) Polyb. 2, 58, 10; Liv. 2, 17, 6; 4, 29, 4; 4, 34, 4; 5, 22, 1; 6, 4, 2; 7, 27, 8; 9, 42, 7, 10, 46, 4; 21, 51, 2; 22, 50, 6; 21, 51, 2; 23, 38, 7; 23, 37, 12; 24, 42, 11; 26, 16, 6; 26, 34, 6; 26, 34, 11; 26, 34, 3; 26, 40, 13; 27, 19, 2; 33, 11, 2; 34, 50, 6; 34, 21, 5; 34, 16, 10; 35, 36, 10; 37, 60, 3; 38, 29, 11; 39, 42, 1; 39, 33, 6; 41, 11, 8; 42, 54, 6; 42, 63, 10; 42, 63, 12; 43, 4, 8—12; cf. 43, 19, 2; Flor. 3, 21, 27; 4, 12, 52; 4, 12, 25; Valer. Max. 5, 1, 7; 5, 2, 6; 9, 10, 1; Oros. 4, 1, 1; 4, 18, 5; 4, 18. 7; 4, 20, 3; 4, 20, 38; 4, 23, 7; 5, 1, 8; 6, 8, 17; 7, 37, 16; Eutrop. 3, 16, 2; Liv. per. 43; de vir. ill. 57, 2; Diod. 20, 80, 1; 23, 9, 5; 23, 18, 4/5; 26, 20, 2; 34, 23; Dion. Hal. 3, 49; 3, 50; 3, 53; 4, 24; 5, 49; 5, 47; 8, 82; 9, 56; Appian. Gall. 11; Samn. 4, 1; 6; Ib. 68; 98; 99; Hann. 28; 43; Illyr. 16; 21; Syr. 42; Mithr. 38; 61; Plut. Coriol. 28, 5; Cat. mai. 21, 1; Fab. Max. 22, 6: Crass. 17, 2; Sertor. 3, 5; Flamin. 13, 4; Marc. 13, 4; Cass. Dio. 37, 20, 4; 39, 43, 5; 42, 14, 4; 43, 39, 2; 47, 34, 4/5; 77, 14, 2; Zon. 7, 13; 8, 19; 9, 3, 9; 9. 22, 6; 9, 25, 9; 9, 30, 9; 9, 31, 6; Sall. Iug. 91, 6; Cic. ad. Att. 5, 20,

erat eos vendere[6]). Τοῦτό γε καὶ τοῖς μηδὲν ἀσεβὲς ἐπιτελεσαμένοις κατὰ τοὺς τοῦ πολέμου νόμους ὑπόκειται παθεῖν[1]). Rei publicae fuisse captivos iam supra[2]) demonstravimus. Aut sub corona[3]) aut sub hasta venumdabantur[4]). Inter has formulas auctores discrimen non faciunt. Utraque utuntur in eadem re.

Quaeramus nunc, unde veniant significationes illae: sub corona et sub hasta venire. Testimonium gravissimum praebet Gellius[5]): *antiquitus mancipia iure belli capta coronis induta veniebant et idcirco dicebantur sub corona venire. Namque ut ea corona signum erat captivorum venalium, ita pilleus impositus demonstrabat eiusmodi servos venundari, quorum nomine emptori venditor nihil praestaret. Est autem alia rationis opinio, cur dici solitum sit, captivos sub corona venundari, quod milites custodiae causa captivorum venalium greges circumstarent eaque circumstatio militum corona appellata sit. Sed id magis verum esse, quod supra dixi, M. Cato in libro, quem composuit de re militari, docet. Verba sunt haec Catonis: Ut populus sua opera potius ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat, quam re male gesta coro-*

5; Iustin. ep. 34, 1, 6; Caes. b. G. 2, 33, 5/6; 3, 16, 4; Tacit. ann. 13, 39; hist. 1, 68; Sueton. Aug. 21; Ioseph. b. Iud. 3, 10, 10; 6, 8, 2; 6, 9, 2; Gell. N. A. 6, 4, 3—5; Fronto. b. Parth. p. 220 N.; Fest. p. 62 M.; p. 306 M.; Paul. exc. p. 307 M.; Flav. Vopisc. Aurel. 7; Lamprid. Alex. Sever. 56; Iordan. Rom. 264; Malal. p. 260 D.

1) Polyb. 2, 58, 10. — 2) p. 66/67.

3) Liv. 2, 17, 6; 4, 34, 4; 5, 22, 1; 9, 42, 7; 21, 51, 2; 24, 42, 11; 34, 16, 10; 35, 36, 10; 38, 29, 11; 41, 11, 8; 42, 63, 10; 42, 63, 12; 43, 4, 8—12; Valer. Max. 9, 10, 1; Flor. 4, 12, 25; 4, 12, 52; Liv. per. 43; Oros. 4, 18, 7; 4, 20, 38; 6, 8, 17; Caes. b. G. 3, 16, 4; Iustin. ep. 34, 1, 6; Tacit. ann. 13, 39; hist. 1, 68; Gell. N. A. 6, 4, 3—5; Fronto. b. Parth. p. 220 N.; Fest. p. 306 M.; Paul. exc. p. 307 M.; Flav. Vopisc. Aurel. 7.

4) Liv. 6, 4, 2; 23, 38, 7; 23, 37, 12; Valer. Max. 5, 1, 7; Flor. 3, 21, 27; Oros. 5, 18, 26; Zon. 8, 18, 11/12; Dion. Hal. 4, 24; App. Mithr. 38; 61; Capit. Gordian. III, 25; Fest. p. 62 M.; p. 101 M.

5) N. A. 6, 4, 3—5.

natus veneat[1]). Quibus ex testimoniis apparet iam veteres in hac quaestione inter se dissensisse. Recentiores varie conati sunt lucem ferre in has tenebras[2]), atque hanc interpretationem plurimi, quantum scio, acceperunt defenderuntque captivos, quorum condicio servorum esset, cum venumdarentur, esse re vera ornatos coronis aeque ac victimas, quibus immolandis coronam imponere Romani consuessent. Quam coniecturam ego quidem non comprobo. Hostes captos concedo aeque ac victimas coronis ornari potuisse, cum immolarentur; cum publice venumdarentur, non item. Quibus testimoniis nisus contenderit quispiam Romanos victimas coronis ornatas vendidisse? Nec mihi persuadere possum unumquemque captivum esse corona ornatum, priusquam per quaestorem venumdaretur. Atque si omnes captivi ornati essent coronis, dixissent Romani sub coronis, non sub corona vendere. Item reiciendam esse censeo alteram interpretationem: Romanos formula sub corona vendere esse usos, quod corona militum captivos venumdandos circumdedisset. Quod si ita fuisset, exspectares vocem potius in corona vel intra coronam quam sub corona. Alia igitur via mihi videtur ad finem progrediendum esse. Victoribus ipsis vel iis, qui de victoria bene meriti erant, coronas scimus praemium fortitudinis datas esse. Corona laurea ornatus imperator cum militibus triumphum egit. Hanc coronam lauream Romanos semper νίκης σύμβολον habuisse testatur Appianus[3]). Coronam auream servus publicus super caput triumphantis imperatoris tenuit[4]). Coronas aureas socii vel subditi in honorem victoriae miserunt, quae victori in triumpho praeferrentur[5]). Coronas ad rem bellicam item pertinere constat: gramineam sive obsidionalem, triumphalem sive lau-

---

[1]) cf. Fest. p. 306 M.; Paul. exc. p. 307 M.
[2]) cf. Osenbrueggen. p. 48. — [3]) Appian. Lib. 66.
[4]) Plin. nat. hist. 33, 38; Zon. 7, 21.
[5]) Liv. 34, 52, 8; 37, 58, 4; 37, 59, 4; 38, 37, 4; 39, 5, 14; 39,

ream, coronam ovalem sive myrteam, civicam sive querceam, classicam sive rostratam, muralem, castrensem, gemmatam, auream. Coronae igitur solebant praemia esse virtutis, symbola haberi victoriae. Unde concludo Romanos eo loco, quo hostes bello capti venumdabantur, tamquam symbolum victoriae suspendisse coronam, qua captivos a reliquo servorum genere diversos volebant indicare. Ex hac consuetudine dicebatur *sub corona vendere*. Quae cum paullatim obsolevisset, vox tamen ipsa maneret, factum est, ut scriptores Romanorum ipsi ad coniecturas profugerent. Interpretationem, quam proposui, etsi testimoniis veterum non affirmatur, probare tamen mihi videor simili quodam usu allegato, quo re vera coronas ut symbola victoriae Romanos demonstrem suspendisse. Augustum enim legimus ob cives servatos postes Palatinae domus ornasse corona civica[1]). Tiberius civicam in vestibulo coronam recusavit[2]). Sed Claudius *inter hostilia spolia navalem coronam fastigio Palatinae domus iuxta civicam fixit, traiecti et quasi domiti Oceani insigne*[3]).

Quae vis sit in illo *sub hasta venire,* nunc quaeramus. Hasta erat apud Romanos signum et belli et iusti dominii. „Mit dem Schwerte ist die römische Welt gegründet, und das Schwert oder der Speer ist das älteste Symbol des römischen Rechts[4]).“ „Der Speer erscheint als geheiligtes Symbol des Kriegsrechts und des Eigentums selber[5]).“ Hasta erat symbolum Martis, dei vere Romani. *Hasta summa armorum et imperii est*[6]). Cum bellum iniretur, hasta in fines hostium missa est. Quaecumque publice Romani venumdabant, hastae subiciebant. Dum et homines et res

---

7, 1; 39, 29, 6; 39, 42, 3; 40, 16, 11; 40, 34, 8; 40, 43, 6; Appian. Lib. 66; Plut. Aem. Paull. 34, 4; Cass. Dio. 42, 49, 3; 42, 50, 2; Gell. N. A. 5, 6, 5—7; Fest. p. 367 M.

[1]) Valer. Max. 2, 8, 7; Ovid. fast. 4, 953; trist. 3, 1, 36; metam. 1, 562. — [2]) Sueton. Tib. 26. — [3]) Sueton. Claud. 17. — [4]) Ihering 3, 110; 113. — [5]) Holtzendorff 1, 274. — [6]) Fest. p. 62 M.

publice veneunt, pro tribunali magistratus proposita est hasta [1]). Denique hasta antiquissimis temporibus solum praemium fortis militis erat [2]). Quibus rebus cognitis mirum non est, quod captivi quoque venumdabantur *sub hasta*.

Reges vel principes vel senatores a Romanis venire non solebant [3]). Pecunia in aerarium redigebatur [4]). Camillum Etruscis venumdatis tantum aeris redegisse legimus [5]), ut pretio pro auro matronis soluto ex eo, quod supererat, tres paterae aureae fierent. Dictatores, consules, praetores solebant venumdare captivos [6]) per quaestores [7]). Iniuste si cuius urbis incolae venierant, querellae ad senatum reici poterant [8]). Ingentem numerum bello Punico captorum Hannibal, cum a suis non redimerentur, in Graeciam venumdederat [9]). In Creta insula a. 189 a. Chr. captivorum Romani atque Italici generis magna copia in servitute fuisse dicitur [10]). Ti. Sempronius Gracchus — is, qui Sardiniam subegit — tantum captivorum numerum abduxit, ut longa venditione res in proverbium veniret: *Sardi venales* [11]). Quomodo sint venumdati captivi in bello, optime intellegemus, cum legerimus [12]) Brutum captivos Xanthios, quod plerisque eorum cum Patarensibus fuerit affinitas, ad eos misisse sperantem eorum opera se eos ad amicitiam adducturum esse. Sed cum minime per-

---

[1]) Appian. b. c. 4, 73.

[2]) Polyb. frg. 6, 39, 3; Fest. p. 101 M.; p. 62 M.; Plut. Rom. 29, 1/2.

[3]) Liv. 2, 17, 6; 4, 29, 4; 21, 51, 2.

[4]) Liv. 6, 4, 2; 5, 22, 1; 7, 27, 8; Oros. 4, 18, 5.

[5]) Liv. 6, 4, 2.

[6]) Liv. 5, 22, 1; 7, 27, 8; 21, 51, 2.

[7]) Liv. 27, 19, 2; 27, 19, 8; 34, 21, 5; Valer. Max. 5, 1, 7; Dion. Hal. 8, 82.

[8]) Liv. 43, 4, 8—12; Zon. 9, 22, 6.

[9]) Liv. 34, 50, 6; Plut. Marcell. 13, 4; Flam. 13, 4; Valer. Max. 5, 2, 6; Oros. 4, 20, 3. — [10]) Liv. 37, 60, 3. — [11]) de vir. ill. 57, 2. — [12]) Cass. Dio. 47, 34, 4/5.

moverentur, quamvis singulis suos necessarios dono dedisset, catastam sub muro tuto loco constituit primoresque singulos productos vendidit. Nonnumquam emptionem captivorum quorundam Romani aspernabantur[1]). Caesar bello civili ut erat promptus ad ignoscendum adversariis facile aliquid remisit. Itaque Megarenses captos primum necessariis eorum, deinde minimo pretio vendidit[2]). Augustus captivos earum gentium, quae crebrius aut perfidiosius rebellaverant, ea lege venumdabat, ne in vicina regione servirent neve intra tricesimum annum liberarentur[3]).

Quantum fere aes ex singulis captivis sit redactum, certe iudicare non possum. Neque multum refert totam summam redacti aeris commemorari. Livius, qui[4]) aeris gravis dicit travecta viciens centum milia et quingenta triginta tria milia, ipse addit: *id aes redactum ex captivis dicebatur.* Etiam venumdatorum numerus captivorum accurate non statuitur[5]) ita, ut pretium uniuscuiusque captivi ratione invenire vix possimus. Non mirum est, quod pretium pendebat ex numero et captivorum et emptorum[6]). Praeterea rerum scriptores videntur pecuniae summam plerumque adnotare, si summa oblata solitum superat modum. Itaque pretia nisi minima aut maxima non tradita esse suspicor. Quae cum ita sint — ut unum exemplum proferam — si scriptum videmus Radagaisi Gothos captos vilissimo pretio pecudum modo singulis aureis quasi hominum greges esse venumdatos, colligere non licet illis temporibus hoc fuisse pretium captivorum[7]).

Sed haud longe distare potuerunt haec pretia a pretiis, quae solvi solebant captivis redemptis. De hac autem re melius instructi sumus[8]).

---

[1]) Zon. 8, 19; Tacit. hist. 3, 34. — [2]) Cass. Dio. 42, 14, 4. — [3]) Sueton. Aug. 21. — [4]) 10, 46, 5. — [5]) Liv. 10, 45, 14: capta minus tria milia hominum. — [6]) Ioseph. b. I. 6, 8, 2. — [7]) cf. Oros. 7, 37, 16. — [8]) cf. infra p. 117—119.

Dono captivi venumdati aeque ac servi dari poterant[1]).

Non omnes captivi venierunt, sed multi facti sunt servi publici[2]). Alii in classem ad supplementum remigum dabantur[3]), alii opifices ad ministeria belli operam navabant[4]). Etiam carnificum munera exercebant[5]).

Addere iuvat, quibus negotiis interdum captivi fuerint occupati publico iussu vel privato consilio. Alexandrum Persei regis filium tornandi subtiliumque operum egregium artificem fuisse tradunt; Romanas litteras et sermonem eum didicisse et magistratibus se scribam sollertem praestitisse[6]). Iubae regis filius per captivitatem fertur ex Numida et homine barbaro eo ductus esse, ut inter doctissimos Graecorum scriptores numeraretur[7]). Vespasianus iuvenum validissimorum Tarichearum urbis sex milia electa Neroni ad Isthmum misit, quae destinata erant ad Isthmum perfodiendum[8]). Hierosolymis captis Vespasianus ex captivorum multitudine annis septemdecim maiores vinctos ad metalla exercenda in Aegyptum transportavit[9]).

Decebalus opera laboribusque captivorum usus est, ut flumen quoddam ex alveo derivaret atque opes vestesque in speluncas abderet[10]). Scythae ut Bosporum superarent, captivis remigandi peritis ad navigationem usi sunt[11]). Captivorum agmina Alarici ossibus sepulturae locum in alveo effoderunt[12]). Barbarorum reges interdum

---

1) Liv. 3, 57, 3; Sil. Ital. 9, 66—79; Cass. Dio. 43, 30, 3; Dion. Hal. 4, 1; Sueton. Caes. 28; Ioseph. b. I. 3, 10, 10; Lamprid. Alex. Sev. 58.

2) Liv. 26, 47, 2; Vell. Paterc. 2, 19, 3.

3) Cass. Dio. frg. 16, 57, 42; cf. Appian. b. c. 5, 2; Polyb. frg. 10, 17, 11.

4) Liv. 26, 47, 2; Polyb. frg. 10, 17, 9.

5) Vell. Paterc. 2, 19, 3; Plut. Mar. 39, 4; de vir. ill. 67, 5; Valer. Max. 2, 10, 6.

6) Plut. Aemil. Paull. 37, 4; cf. Oros. 4, 20, 39; Ammian. 14, 11, 31.

7) Plut. Caes. 55, 2. — 8) Ioseph. b. I. 3, 10, 10. — 9) Ioseph. b. I. 6, 9, 2. — 10) Cass. Dio. 68. 14; Zon. 11, 21. — 11) Zosim. 1, 33, 1. — 12) Iord. Get. 30, 158.

pro imperio Romano iussu imperatorum bella administrabant[1]).

Pars quaedam captivorum a ducibus reservabatur, ut in edendis populo ludis muneribus gladiatorum fungerentur. Qui mos crebruit Caesaribus omnes ludos magnificentia magnoque numero gladiatorum conantibus splendidissimos reddere.

Everso imperio Punico Scipio exterarum gentium transfugas in edendis populo spectaculis feris bestiis obiecit[2]). L. Paulus Perse rege superato eiusdem generis et culpae homines elephantis proterendos substravit[3]). M.' Aquilius mille servos captos Romam abductos cum bestiis pugnare iussit[4]). Spartacus ille e captivo factus erat gladiator[5]). Caesar triumpho pulcherrimo acto tantum captivorum numerum depugnare iussit, ut ob multitudinem caesorum reprehenderetur[6]). Sextus Pompeius captivorum spectaculum navale exhibuit in freto prope Rhegium[7]). Augustus quoque post triumphum Actiacum turmas Dacorum et Suevorum in arenam introduxit[8]). Inde saepius captos in arena mortem subisse invenimus[9]). Delibata quaedam proferam. Mariccus quidam a Vitellio feris obiectus: quia non laniabatur, stolidum vulgus inviolabilem credebat, donec spectante Vitellio interfectus est[10]). Hierosolymis captis permulti Iudaeorum captivi Titi iussu ludis gladiatoriis consumpti sunt[11]). Etiam a Constantino Bructerorum puberes, qui in manus venerunt, quorum nec perfidia erat apta militiae nec ferocia servituti, ad poenas spectaculo dati saevientes bestias multitudine sua fatigarunt[12]). Neque deerant, qui tale spectaculum pulchrum

[1]) cf. Ammian. 26, 8, 2; 29, 1, 2. — [2]) Valer. Max. 2, 7, 13. — [3]) Valer. Max. 2, 7, 14. — [4]) Diod. frg. 36, 10, 2. — [5]) App. b. c. 1, 116: ἐκ δὲ αἰχμαλωσίας καὶ πράσεως ἐν τοῖς μονομάχοις ὤν. — [6]) Cass. Dio. 43, 23, 4; 43, 24, 1. — [7]) Cass. Dio. 48, 19, 1. — [8]) Cass. Dio. 51, 22, 6. — [9]) Cass. Dio. 60, 30; 76, 10; Zon. 12, 10; Eutrop. 10, 3, 2; Amm. 14, 2, 1. — [10]) Tac. hist. 2, 61. — [11]) Ioseph. b. I. 6, 9, 2; 7, 2, 1; 7, 3, 1; 7, 5, 1. — [12]) Paneg. 7, 12.

esse putarent. *Nam quid hoc triumpho pulcrius? quo caedibus hostium utitur etiam ad nostrum omnium voluptatem et pompam munerum de reliquiis barbaricae cladis exaggerat, tantam captivorum multitudinem bestiis obiciens ut ingrati et perfidi non minus doloris ex ludibrio sui quam ex ipsa morte patiantur*[1]. Ab Aureliano datae populo sunt voluptates ludorum scaenicorum, ludorum circensium, venationum, gladiatorum, naumachiae[2]. Probus triumpho de Germanis et Blemmyis acto edidit gladiatorum paria trecenta Blemmyis plerisque pugnantibus, qui per triumphum erant ducti, plerisque Germanis et Sarmatis, nonnullis etiam latronibus Isauris[3].

1) Paneg. 9, 23. — 2) Flav. Vopisc. Aurel. c. 34. — 3) Flav. Vopisc. Prob. 19.

III.

Quoniam demonstravimus, quae esset sors bello captorum in captivitate ipsa, nunc quaeramus, quibus condicionibus libertas captivorum restitui potuerit atque qua iuris condicione ii fuerint, qui ex hostium manibus in patriam reverterentur.

Libertas restituitur, si bello capti aut remittuntur aut permutantur aut redimuntur.

Romanos sine pretio quondam remisisse captivos Latinos Livius narrat[1]). Antiquissimis tamen temporibus eos remittere bello captos non consuesse licet suspicari[2]). Atque raro id factum esse invenio[3]). Plutarcho si fidem habere licet, iam Porsena bellum ea condicione solvit, ut Romani captivos redderent[4]).

Primus saepius captivos sine pretio remisit Pyrrhus, rex Epirotarum[5]), eo scilicet animo, ut sibi Romanorum socios conciliaret atque ad suas partes perliceret. *Ad dolos se contulit*[6]). Cuius *doli* commodum etiam

---

[1]) 2. 22, 5.

[2]) cf. Dion. Hal. 6, 21; Cass. Dio. frg. 8, 36, 8.

[3]) Dion. Hal. 2, 55; 3, 32; 3, 54; 3, 66; 5, 77; 6, 25; Cass. Dio. frg. 8, 36, 8; Zon. 7, 26; 8, 2.

[4]) Plut. Publ. 18, 2.

[5]) Liv. 22, 59, 18; Flor. 1, 18, 15; Frontin. strat. 4, 1, 18; Valer. Max. 2, 7, 15; Liv. per. 13; Eutrop. 2, 12, 3; Zon. 8, 4; 5; Cic. off. 1, 38; App. Samn. 10, 3; Iustin. epit. 18, 1, 11; Cass. Dio. frg. 9, 40, 32; 9, 40, 23; Plut. Pyrrh. 18, 4; Iordan. Rom. 157.

[6]) Flor. 1, 18, 15.

Poenos non fefellit. Exempla praebet bellum Punicum primum[1]). Eandem rationem secutus est Hamilcar initio belli mercennariorum[2]). Hoc *dolo* saepissime utebantur Hannibal ceterique Poenorum duces[3]). Cum Romanos ipsos in vincula daret, socios sine ullo pretio remittere solebat Hannibal φάσκων· οὐκ ἐκείνοις ἥκειν πολεμήσων, ἀλλὰ Ῥωμαίοις ὑπὲρ ἐκείνων. διόπερ, ἔφη δεῖν αὐτούς, ἐὰν ὀρθῶς φρονῶσιν, ἀντέχεσθαι τῆς πρὸς αὐτὸν φιλίας. παρεῖναι γὰρ πρῶτον μὲν τὴν ἐλευθερίαν ἀνακτησόμενος Ἰταλιώταις· ὁμοίως δὲ τὰς πόλεις καὶ τὴν χώραν, ἣν ὑπὸ Ῥωμαίων ἀπολωλεκότες ἕκαστοι τυγχάνουσι συνανασώσων. ταῦτα δ' εἰπὼν ἀφῆκε χωρὶς λύτρων εἰς τὴν οἰκείαν, βουλόμενος ἅμα μὲν προκαλεῖσθαι διὰ τοιούτου τρόπου πρὸς αὐτὸν τοὺς κατοικοῦντας τὴν Ἰταλίαν, ἅμα δ' ἀπαλλοτριοῦν τῆς πρὸς Ῥωμαίους εὐνοίας, ἐρεθίζειν δὲ τοὺς δοκοῦντας πόλεσιν ἢ λιμέσιν ἠλαττῶσθαί τι διὰ τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς[4]). Quin etiam Hannibal captos socios donis oneratos dimisit[5]). Neque quisquam infitias ibit amplissimum fructum huius comitatis eum esse consecutum. Nam verbis opus non est remissos nil habuisse antiquius, quam ut populares conciliarent Hannibali. Neque id Romanorum duces effugit. Itaque Scipio Hannibalis exemplum in Hispania atque Africa passim imitatus est; ubique vestigia Poeni prementem invenimus[6]). Postea haec belli consuetudo in annos usitatior fiebat[7]). Ita gra-

[1]) cf. Cass. Dio. frg. 11, 43, 8; Zon. 8, 9.

[2]) Polyb. 1, 78, 14.

[3]) Diod. frg. 25, 10; Liv. 22, 7, 5; 22, 13, 2; 22, 58, 2; 23, 42, 4; 24, 13, 1; 24, 30, 13; 25, 10, 8; 27, 9, 3; Front. strateg. 3, 16, 1; Zon. 9, 2, 4.

[4]) Polyb. 3, 77, 3—7; cf. Polyb. 3, 85, 3/4; Zon. 9, 2, 4; 8, 25, 8; 8, 24, 7; App. Hann. 10; 34.

[5]) Liv. 22, 13, 2.

[6]) Liv. 26, 17, 1; 26, 29; 26, 49, 10/11; 26, 51, 11; 27, 19, 9; 27, 19, 2; Liv. per. 27; Flor. 2, 6, 40; Valer. Max. 4, 3, 1; Polyb. frg. 10, 17, 7; 10, 40, 10; Cass. Dio. frg. 16, 57, 43; Zon. 9, 8, 5; App. Ib. 23; Sil. Ital. 15, 263—285.

[7]) Liv. 45, 42, 6—12; Oros. 4, 18, 7; 7, 43, 12; Valer. Max. 5,

tis remiserunt captivos et Philippus, rex Macedonum[1]), et Antiochus[2]). Etiam Hispani (a. 195 a. Chr.) captivos Romanos et Latini nominis donum consuli reducebant[3]). Attalus quoque multos mansuetudinis suae praecones sibi comparavit[4]). Mithridates vero captivos Romanorum veste et cibo donatos in patrias suas dimisit[5]).

Inprimis consuetudo valere coepit, ut, cum pax fieret, inter se hostes paciscerentur, redderentur omnes captivi[6]).

Sed etiam, cum de aliis rebus agebatur, Romani exposcebant captivos[7]). Alii bello victi saepius ultro captivos Romanis remittebant, ut veniae spes augeretur[8]), alii certis condicionibus[9]), alii petebant per legationes, ut redderentur captivi[10]). Augustus tota Parthia captivos ex Crassiano sive Antoni exercitu recollegit. Atque *plus Caesar*

1, 7; Caes. b. G. 7. 89, 4; 7, 90, 3; Plut. Pomp. 36, 2; Sull. 23, 2; Marc. 20, 10; App. Mithr. 96; Polyb. frg. 30, 12; Ioseph. b. I. 6, 8, 2; Diod. frg. 31, 8, 3/4; 33, 19; Tacit. hist. 4, 17; Cass. Dio. 71, 16; 72, 2; Zon. 9, 13, 7.

1) Liv. 36, 14, 7; Diod. frg. 32, 4.

2) Liv. 38, 51, 2; 37, 37, 6, 7; 37, 36, 2; 36, 9, 15; Oros. 4, 20, 22; de vir. ill. 49, 16; 54, 4; Polyb. frg. 21, 12, 2; Cass. Dio. frg. 19, 62, 2; Zon. 9, 19, 5; 9, 20, 4; App. Syr. 29; Iustin. epit. 31, 7, 4; Diod. frg. 29, 8.

3) Liv. 34, 16, 7. — 4) Diod. frg. 33, 15. — 5) Diod. frg. 37, 26.

6) Polyb. 1, 16, 9; 1, 62, 9; 3, 27, 6; frg. 15, 8, 7; 15, 18, 3; 17, 1, 13; 17, 2, 2; 17, 6, 1; 17, 6, 3; 17, 8, 10; 18, 27, 6; 22, 26, 10; 26, 6, 8; Liv. 30, 16, 15; 30, 37, 3; 30, 42, 4; 30, 43, 7/8; 30, 43, 11; 32, 27, 6; 32, 33, 3; 32, 35, 9; 33, 27, 5; 33, 30, 5; 34, 33, 3; 34, 35, 6; 38, 11, 4; 38, 38, 7; Vell. Paterc. 2, 23, 6; Eutrop. 3, 21, 3; 4, 2, 2; Diod. frg. 23, 4; Dion. Hal. 6, 21; 6, 25; Appian. Sic. 2, 2; 6; Lib. 32; Ib. 79; Mithr. 55; Maced. 9, 3; Syr. 38; Iustin. 31, 7, 8; Cass. Dio. frg. 11, 43, 22; 12, 49, 5; 17, 57, 74; 17, 57, 82; 26, 89, 1; 42, 42, 3; 71, 11, 2; 67, 7; 72, 3; 75, 1, 1; Zon. 8, 17, 4; 8, 17, 9; 8, 19, 4; 9, 13, 9; 9, 14, 11; 9, 16, 12; 13, 10; Ammian. 17, 10, 4; 17, 12, 11; 18, 2, 19; Zosim. 1, 67, 3; Iordan. Rom. 326; Get. 32, 165.

7) App. Samn. 7; Ib. 31. — 8) App. Illyr. 7. — 9) Ioseph. b. I. 7, 6, 4; Cass. Dio. 68, 12. — 10) cf. Cornel. Nep. 7, 2.

magnitudine nominis sui fecit, quam armis facere alius imperator potuisset[1]).

Sed plurimis omnium testimoniorum, quae supra contuli, manifeste apparet Romanos, cum pax fieret, postulasse, ut suos populares captos redderent hostes victi, cum ipsi hostium captivos minime dimitterent. At singulare est, quod a. 241 a. Chr. n., quo anno bellum Punicum primum confectum est, Romanorum captis a Carthaginiensibus redditis senatus, postquam Poeni petiverunt, ut redimi eos captivos liceret, quos ex Afris Romani tenebant, iussit sine pretio eos dari, qui in publica custodia essent; qui autem a privatis tenerentur, ut pretio dominis reddito Carthaginem redirent atque id pretium ex fisco magis quam a Carthaginiensibus solveretur[2]). Hoc erat grati animi. Ex eodem genere est, quod Romani Pyrrho, qui gratias agens ob medici sui proditionem a Romanis nuntiatam captos sine pretio remiserat, captivos neque beneficii loco neque mercedis nomine sceleris non commissi ab hoste accipiendos rati totidem de Tarentinis et Samnitibus captos sine pretio reddiderunt[3]). Cui facto simillimum erat hoc: cum Carthaginienses mercennariorum seditione pressi eos Italicos, qui ad Poenorum portus venerant, ut hostibus auxilia ferrent, cepissent, sed iussu legationis Romanae dimisissent, Romani eos, quos e bello Siciliensi in captivitate Romae habebant, Poenis reddiderunt[4]).

Saepius Romani frustra exposcebant bello captos ab hostibus[5]). Quamquam hostes saepe promittebant reddituros se captivos, quae polliciti erant, non semper observabant[6]). Neque raro fiebat, ut hostes, quamvis omnes se

---

1) Iustin. 42, 5, 11; cf. Cass. Dio. 49, 24, 5; 53, 33, 2; Plut. Ant. 37, 1.

2) Eutrop. 2, 27, 3/4. — 3) Plut. Pyrrh. 21, 5; App. Samn. 11. — 4) Polyb. 1, 83, 7/8. — 5) Cass. Dio. frg. 30—35, 111. — 6) Cass. Dio. frg. 12, 49, 5; Zon. 8, 19, 4.

reddituros captos promiserant, multos celarent atque domi detinerent[1]). Iulianus imperator, ut efficeret, ne quis captivorum se ignorante apud Alamannos maneret, huius modi excogitavit remedium. Ab omnibus, qui singulis ex oppidis atque vicis fuga evaserant, exigebat, ut nominatim dicerent, quosnam ex urbibus et vicis uniuscuiusque ipsorum barbari captivos abduxissent. Cum quisque vel ex coniunctione sanguinis vel ex necessitudine vicinorum vel amicitia vel alio quodam casu sibi cognitos nominatim edixisset, iussit notarios imperatorios describere omnes. Quo facto legatos hoc consilium ignorantes Rhenum ipse transmisit et, ut cum captivis reverterentur, imperavit. Qui cum haud multo post imperata fecissent omnesque captivos se habere dixissent, Iulianus in sublimi solio consedit et constitutis post id tribunal notariis e barbaris, ut convenerat, adesse captivos iussit. Illis singillatim ingredientibus et nomina sua edentibus notarii, qui prope Iulianum stabant, ex libellis suis eorum nomina quaerebant et cum collatis inter se et iis, quos antea consignaverant et Caesari praesentatis deprehendissent longe plures esse, qui a municipibus et vicanis nominatim indicati fuerant, accedentes a tergo de hac re Iulianum certiorem faciebant. Sed Iuliano barbarorum legatis bellum comminato, quod captivos omnes non reddidissent eorumque nomina, qui e singulis oppidis et vicis deessent, suggerentibus notariis prolocuto barbari rati divino quodam nutu vel abditissima et ignota Caesari significari omnes, quos vivos repperissent, se tradituros esse polliciti sunt[2]).

Nonnumquam Romani memores beneficiorum, quae acceperant, captivos liberaverunt dimiseruntque[3]). Atque homini bene merito de populo Romano copia dari poterat

---

[1]) Cass. Dio. 71, 11, 2; 67, 7; Amm. 17, 10, 7; Zosim. 1, 68, 3.

[2]) Zosim. 3, 4, 6.

[3]) Ioseph. b. I. 1, 8, 6; Plut. Luc. 19, 10; Dion. Hal. 6, 25; Suet. Vesp. 5; Diod. frg. 34, 23; Oros. 7, 9, 3.

cives captos, quos vellet, servitute eximendi[1]). Homines per iniuriam ducis captos senatus restituendos curavit[2]).

Quasi formulam invenimus apud Livium[3]), quo loco dicit de pace cum Aetolis facta: *perfugas, fugitivos, captivos reddito Romanis sociisque, praeter quam si qui capti, cum domos redissent, iterum capti sunt, aut si qui eo tempore ex iis capti sunt, qui tum hostes erant Romanis, cum intra praesidia Romana Aetoli essent. aliorum qui comparebunt intra dies centum Corcyraeorum magistratibus sine dolo malo tradantur, qui non comparebunt, quando quisque eorum primum inventus crit, reddatur.* Apud Polybium scriptum videmus Romanos postulasse, ut captivos perfugasque omnes, qui apud Aetolos essent, inter proximos sex menses sine pretio redderent[4]): χωρὶς τῶν ὅσοι κατὰ πόλεμον ἁλόντες εἰς τὴν ἰδίαν ἀπῆλθον, καὶ πάλιν ἑάλωσαν, καὶ χωρὶς τῶν, ὅσοι πολέμιοι Ῥωμαίων ἐγένοντο, καθ' ὃν καιρὸν Αἰτωλοὶ μετὰ Ῥωμαίων συνεπολέμουν[5]). Iam oculis occurrit certum temporis spatium, intra quod remittendi essent captivi, esse constitutum[6]).

Quin etiam ossa ducis in captivitate mortui redduntur bello confecto[7]).

In foederibus quoque mentio fit captorum. Polybius memoriae prodit in illo foedere inter Romanos et Carthaginienses icto, quod nominat secundum, esse constitutum: ἐὰν δέ τινες Καρχηδονίων λάβωσί τινας, πρὸς οὓς εἰρήνη μέν ἐστιν ἔγγραπτος Ῥωμαίοις, μὴ ὑποτάττωνται δέ τι αὐτοῖς, μὴ καταγέτωσαν εἰς τοὺς Ῥωμαίων λιμένας· ἐὰν δὲ καταχθέντος ἐπιλάβηται ὁ Ῥωμαῖος, ἀφιέσθω[8]).

Etiam priusquam urbs obsessa aperuit portas, incolae interdum pacti sunt, ut remitterentur captivi[9]).

1) Diod. frg. 34, 23 — 2) Liv. per. 45; cf. Ios. ant. Iud. 14, 12, 3. — 3) 38, 11, 4. — 4) Polyb. frg. 22, 13, 3. — 5) Polyb. frg. 22, 15, 5/6.
6) cf. App. Lib. 54; Polyb. frg. 18, 27, 6; Diod. frg. 28, 12.
7) cf. Liv. 39, 50, 9.
8) Polyb. 3, 24, 6.
9) Liv. 38, 9, 9; App. Ib. 75.

Praeterea capti poterant reddi hostibus Romae petentibus [1]) aut senatu querellis hostium obsecuto [2]). Dona quoque vel viaticum captis, cum reducerentur, interdum data sunt [3]). Servorum in tumultibus, qui principes coniurationis erant, cruci affigi, alii dominis solebant restitui [4]). Et bellis civilibus haud raro captivi incolumes remittebantur [5]). Caesar post pugnam apud Pharsalum commissam multos, qui tum primum contra ipsum arma tulissent, dimisit, nihil eos contra se deliquisse addens, qui nullo suo beneficio affecti Pompei, cuius amicitia usi essent, rebus studuissent [6]).

Socios in servitutem venumdatos cum invenirent in manibus hostium, semper conquirere conati Romani e captivitate in libertatem restituerunt [7]).

Restat quaestio, utrum iis, qui e captivitate remissi erant, licitum fuerit iterum contra eundem pugnare hostem necne. Testimoniis, quibus quod diffidamus non habemus, proditur memoriae remissos captivos iterum arma cepisse adversus eos, qui e servitute remiserant, atque hoc modo satisfecisse: *qui capti a Pyrrho ad Heracleam erant adversus Pyrrhum ipsum pugnantes satisfecerunt* [8]). *Nunc deteriore condicione sumus quam apud patres nostros fuerant captivi. quippe illis arma tantum atque ordo militandi locusque, in quo tenderent in castris, est mutatus: quae tamen semel navata rei publicae opera et uno felici proelio recuperarunt* [9]). Pyrrhus ei legationi, quae redimendi causa ad eum venerat, haec respondit: σπενδομένοις μὲν ἔφη . . χαριεῖσθαι τοὺς αἰχμα-

---

1) Liv. 30, 17, 11; 34, 50, 3. — 2) Liv. 43, 4, 8—12; 43, 7, 5—8, 9. — 3) Liv. 30, 17, 11; App. Mithr. 18; 19. — 4) Cass. Dio. 49, 12, 4.— 5) Vell. Paterc. 2, 25, 2; 2, 50, 4; Cass. Dio. 43, 12, 1; 47, 34, 5; 44, 39, 5; Plut. Mar. 39, 4; Pomp. 65, 2; Caes. 46, 2; Brut. 30, 3; App. b. c. 1, 114; 2, 41; 2, 42; 2, 100; 3, 80; 5, 7; Zon. 10, 9; 10, 18. — 6) Cass. Dio. 41, 62, 3. — 7) Liv. 28, 39, 5; 28, 39, 18; 31, 21, 18; Plut. Aem. Paull. 6, 5. — 8) Liv. 25, 6, 3; 25, 6, 15.

9) Liv. 25, 6, 16.

λώτους, πολεμοῦσι δ' οὐ δώσειν ἐφ' ἑαυτὸν ἄνδρας τοιούτους καὶ τοσούτους[1]).

Sed miror, quod Romani non remiserunt captivos ea condicione, ne arma in eundem hostem capesserent. Hamilcar unus, cum mercennariorum seditionem pacaret, eos captivos, quos remisit, ita adhortatus est: μηθένα φέρειν ὅπλον πολέμιον κατ' αὐτῶν, ὡς ἐὰν ἁλῷ τις, ἀπαραιτήτου τευξόμενον τιμωρίας[2]).

Ab hac remittendi consuetudine, quam modo describere conatus sum, valde distat altera, quae potius strategematis attribuenda est. P. Valerius Laevinus, cum exploratores Pyrrhi cepisset, iussit eos per castra duci, ostendi omnem exercitum tumque dimitti, ut renuntiarent Pyrrho, quaecumque a Romanis agerentur[3]). C. Claudius post pugnam apud Metaurum commissam caput Hasdrubalis, quod servatum cum cura attulerat, proici ante hostium stationes captivosque Afros vinctos, ut erant, ostendi, duos etiam ex his solutos ire ad Hannibalem et expromere, quae acta essent, iussit[4]). Huc pertinet, quod Scipio captivum Poenorum dimisit Carthaginem, ut nuntiaret Scipionis exercitum adventare[5]). Ad Zamam praemissi speculatores Carthaginiensium a custodibus Romanis excepti ad Scipionem deducti erant. Qui traditos eos tribunis militum iussosque omisso metu visere omnia per castra, quae vellent, circumduci iussit, percontatusque, satin per commodum omnia explorassent, prandio concesso et datis, qui prosequerentur, retro ad Hannibalem dimisit[6]). Caesar Aristobulum in patriam dicitur dimisisse, ut contra

1) App. Samn. 10, 3. Neque multum discrepat Dionysius Hal. frg. 19, 13.

2) Polyb. 1, 78, 15.

3) Eutrop. 2, 11, 2; Frontin.strat. 4, 7, 7; Zon. 8, 2.

4) Liv. 27, 51, 11; Front. strat. 2, 9, 2; Zon. 9, 9, 12.

5) App. Lib. 114.

6) App. Lib. 39; Polyb. frg. 15, 5, 5—7; Liv. 30, 29, 2—4; Eutrop. 3, 22, 2.

Pompeium aliquid moveret[1]). Arsinoe in fratrum gratiam est dimissa[2]).

Ut Romani semper ignominiosum esse putabant in hostium manus venire, ita eos quoque, qui ab hostibus remittebantur, infames habebant atque poena afficiebant. Appii Claudii (a. 279 a. Chr.) sententia senatus consultum factum est, ut, qui a Pyrrho capti et postea remissi essent, equites ad peditem redigerentur, pedites ad levem armaturam, omnibus extra vallum iussis tendere, donec bina hostium spolia singuli referrent. Neque eis licuit locum extra castra adsignatum vallo aut fossa cingere neque tentorium ex pellibus habere[3]). Etiam Otacilius Crassus consul eos, qui ab Hannibale sub iugum missi redierant, tendere extra vallum iussit, ut immuniti adsuescerent periculis et adversus hostem audentiores fierent[4]). Atque operae pretium est, hanc narrare historiolam, qua simile quid illustratur. Eques quidam Romanus a Iudaeis captus, cum iam gladius stringeretur, effugit ad Titum. Hunc Titus ab hostibus elapsum occidere quidem non sustinuit, militem vero esse Romanis indignum ratus, quia vivus fuerat captus, armis ablatis eum pepulit agmine: quae res viro, in quo est quid pudoris, morte gravior est[5]).

Inermes quin remissi sint captivi, dubium non esse potest[6]).

Homines privatos, si consilia hostilia inierant in civitatem societate coniunctam atque capti erant, ea gens, cu-

---

[1]) Cass. Dio. 41, 18, 1; Ioseph. ant. Iud. 14, 13; b. I. 1, 9, 1.

[2]) Cass. Dio. 43, 19, 4.

[3]) Front. strateg. 4, 1, 18; Liv. 25, 6, 15; Val. Max. 2, 7, 15; Lip. epit. 13; Eutrop. 2, 13; Zon. 8, 4: τοῖς δ' αἰχμαλώτοις ἀτιμίαν τινὰ ἐν ταῖς στρατείαις ἐπέθεσαν καὶ οὔτε πρὸς τὸν Πύῤῥον αὐτοῖς ἔτι ἐχρήσαντο οὔτ' ἄλλοσέ ποι ἀθρόοις, ἵνα μή τι ὁμοῦ ὄντες νεωτερίσωσιν, ἀλλ' ἄλλους ἄλλῃ φρουρήσοντας ἔπεμψαν.

[4]) Frontin. strateg. 4, 1, 19.

[5]) Ioseph. b. I. 6, 7, 1.

[6]) Liv. 36, 14, 11.

ius cives hi captivi fuerant, repetere poterat, ut suis legibus in eos animadverteret [1]).

Etiam pactione inter duces facta permutari captivi poterant. Quoniam omnibus antiquorum bellis milites nihil magis intendebant, quam ut hostium quam plurimos vivos caperent, proelio commisso altera pars numerum quendam alterius in manibus habebat. Prudentiae communis, ut ita dicam, nonne erat, quod duces populares captos permutatione recipere conabantur? Hoc consilio legationes e captivorum numero, quorum remitti multum interesset, haud raro electae utrimque mittebantur, quae offerrent permutationem. Quae pactione inter duces facta ita fiebat, ut pro captivo captivus redderetur. Altera pars si maiorem habebat numerum, pro iis, quos alteri plures accipiebant, statuebatur pretium. Sed dux Romanus oportebat senatum consuleret, priusquam eam pactionem iniret. Senatui enim, ne permutatio fieret captivorum, interdum placuisse traditur a rerum scriptoribus. Insigne est exemplum Fabii Maximi [2]): *in permutandis captivis, quod sic primo Punico bello factum erat, convenerat inter duces Romanum Poenumque* [Fabium et Hannibalem], *ut quae pars plus reciperet quam daret, argenti pondo bina et selibras in militem praestaret.* Sed imperatoris Romani erat patres consulere, priusquam hanc pactionem iniret. Quod cum Fabius omisisset, argentum debitum — Romanus enim plures quam Poenus receperat — saepe iactata in senatu re tardius erogabatur. Itaque Fabius facere non potuit, quin inviolatum ab hoste agrum misso Romam Quinto filio venderet fidemque publicam inpendio privato exsolveret. Cass. Dio [3]) de eadem pactione: ἀντιδόσεως τῶν αἰχμαλώτων τοῖς Ῥωμαίοις πρὸς τοὺς Καρχηδονίους, ὥσθ' ὁποτέρων [ἂν] πλείους εὑρεθῶσιν ἀπολυτρωθῆναί σφας, γενομένης, καὶ τῶν Ῥωμαίων μὴ βουληθέντων αὐτοὺς ἐκ τοῦ δημοσίου λυτρώσασθαι, τὰ χωρία ὁ Φάβιος ἀποδόμενος τὰ λύτρα αὐτοῖς ἐχαρί-

1) Liv. 6, 17, 7. — 2) Liv. 22, 23, 6. — 3) frg. 14, 57, 15.

σατο. — ὅτι ὁ Φάβιος τοὺς πολίτας <τοὺς> ἐν ταῖς πρὶν μάχαις ζωγρηθέντας τοὺς μὲν ἄνδρα ἀντ' ἀνδρὸς ἐκομίσατο, τοὺς δὲ καὶ χρημάτων ἀπολύσασθαι συνέθετο[1]).

Saepissime bellis Punicis primo et secundo permutationes factas esse videmus[2]). Campani cum defecissent ad Hannibalem, postulaverunt, ut trecentos ex Romanis captivis Poenus sibi daret, quos ipsi elegissent, cum quibus equitum Campanorum, qui in Sicilia stipendia facerent, permutatio fieret. Qui equites utrum re vera permutati sint necne, ignoramus[3]). Et singuli statim permutabantur. Hanno Poenus a Masinissa captus Scipione iubente contra Masinissae matrem, quae in potestatem Hasdrubalis venerat, permutatus esse dicitur[4]). Ad Pyrrhum quoque senatus populi Romani legatos mittere haud dubitavit, qui ab eo peterent, ne captivos a se redimi negaret, sive corpora corporibus permutare sive certum pro singulis praescribere pretium vellet[5]). Neque bellis temporibus remotis cum Latinis et Aequis gestis Romani permutationem videntur sprevisse[6]).

Quo magis mihi quidem mirum videtur, quod Romani praeter consuetudinem in summo discrimine belli Punici secundi pugna apud Cannas commissa recusaverunt, ne permutatio captorum ab Hannibale ipso oblata fieret[7]). Quid dicam de Atilio Regulo, quem captum a Carthaginiensibus Romam missum captivos permutandi causa ipsum

---

1) frg. 15, 57, 35; cf. Plut. Fab. Max. 7; de vir. ill. 43, 7.

2) cf. Zon. 8, 16, 6: τοὺς δ' αἰχμαλώτους ἀλλήλων ἄνδρα ἀντ' ἀνδρὸς ἠλλάξαντο· τοὺς δὲ λοιπούς, ἐπεὶ μὴ ἦσαν ἰσοπληθεῖς, ἀργυρίου οἱ Καρχηδόνιοι ἐκομίσαντο. Cass. Dio frg. 16, 57, 36: ὅτι οἱ Ῥωμαῖοι διεκηρυκεύσαντο τῷ Ἀννίβᾳ, ἀνταπόδοσιν τῶν αἰχμαλώτων ἀξιοῦντες γενέσθαι. cf. Zon. 9, 6, 11.

3) Liv. 23, 7, 2.

4) App. Lib. 14; Cass. Dio. frg. 17, 57, 67; Zon. 9, 12, 4/5.

5) Dion. Hal. frg. 19, 13; App. Samn. 10, 3: ἀντιλαβεῖν ὅσους ἔχουσι Ταραντίνων καὶ τῶν ἄλλων συμμάχων αὐτοῦ.

6) Dion. Hal. 3, 54; 10, 24.

7) Gell. N. A. 6, 18, 6.

ferunt suasisse, ne captivi permutarentur? Tanti se non esse pronuntiasse dicitur, ut tot milia captivorum propter unum se et senem et paucos, qui ex Romanis capti fuerant, redderentur [1]). Quam ob rem Atilius Regulus ab omnibus auctoribus summis laudibus celebratur.

De redemptione captivorum multa nos docent testimonia [2]). Cum in animis erat, ut redimerentur captivi, primum quidem legati ultro citroque mitti solebant, qui ex victore quaererent, utrum redimendi potestatem daret necne [3]). Quibus testimoniis apparet ne hoc quidem Romanos recusavisse, quin legationes redimendi causa ad hostes mitterent, atque eos Romanos, qui post pugnam Cannensem summa verborum iactatione hoc turpissimum esse iudicabant. Etiam ad colloquium de redemptione duces ipsi conveniebant [4]). Impetrata redemptione nomina uniuscuiusque edebantur [5]). Perraro accidisse puto, ut omnes captivi redimerentur. Inprimis Hannibal — plurimi captivi bello Punico secundo redempti sunt — semper copiam

---

[1]) Eutrop. 2, 25, 1; Liv. per. 18; Flor. 2, 2, 24; Iordan. Rom. 72; Gell. N. A. 7, 4, 1; de vir. ill. 40, 4.

[2]) Polyb. 2, 19, 9; frg. 6, 58, 2—12; 9, 42, 2—4; 22, 21, 5—12; 27, 11; Liv. 5, 51, 8; 10, 31, 3/4; 22, 52, 3; 22, 57, 12; 22, 58, 4; 22, 59, 4; 22, 59, 8; 22, 59, 18; 22, 60, 4; 22, 61, 3; 22, 61, 5/10; 23, 19, 15/17; 25, 6, 14; 25, 23, 9; 29, 6, 6; 30, 43, 7; 32, 17, 2; 34, 5, 9; 32, 22, 10; 34, 3, 7; 44, 24, 7; Valer. Max. 2, 7, 15; 5, 1 ext. 3; 5, 1, 1 a; Liv. per. 13; 22; Eutrop. 2, 27, 4; Oros. 2, 19, 9; Appian. Samn. 4, 1; Mithr. 96; Hann. 28; 34; b. c. 2, 23; Diod. frg. 23, 18, 4/5; Plut. Cam. 28, 5; Pyrrh. 20, 1; Fab. Max. 7, 7; Marc. 13, 4; 18, 5; Flamin. 13, 5; Caes. 2, 1; Pomp. 24, 4; Horat. carm. 3, 5, 25—35; Gell. N. A. 6, 18, 2; Cass. Dio. frg. 9, 40, 29; 56, 22, 4; Zon. 7, 23; 8, 4; 8, 16; 8, 17; 9, 2; Sueton. Caes. 4; Tacit. hist. 3, 34; Lamprid. Alex. Sev. 55.

[3]) Polyb. 2, 19, 9; 6, 58, 2; frg. 9, 42, 2—4; 27, 11; Liv. 22, 59, 8; 22, 59, 18; 44, 24, 7; Valer. Max. 5, 1 ext. 3; 5, 1, 1 a; Liv. per. 13; Appian. Hann. 28; Dion. Hal. frg. 19, 13; Plut. Pyrrh. 20, 1; Marc. 18, 5; Gell. N. A. 6, 18, 2; Cass. Dio. frg. 9, 40, 29; Zon. 8, 4; 9, 2.

[4]) Liv. 25, 23, 9. — [5]) Liv. 30, 43, 7.

redimendi fecit, quod mirum non est. Nam in finibus hostium magnum captivorum numerum secum trahere summo erat non modo impedimento, sed etiam periculo. Interdum certis condicionibus victores captos redimi patiebantur vel ea condicione, ut illi extra Italiam manerent[1]). Etiam pace inita devictis potestas data est cives redimendi[2]). Multa, quae ad redemptionem captivorum pertinent, proferuntur iis locis, quibus de legionibus Cannensibus agitur. Hannibal etiam concessit, ut legationem captivi Romam mitterent, quae redemptionem conaretur impetrare[3]). Redimi poterant capti publice aut ex privatis impensis[4]). Ad senatum referebatur de redimendis captivis[5]). Senatus redemptionem negare potuit[6]). Clarissimum exemplum est, quod legiones Cannenses non redimi placuit[7]) ex his causis: exemplum essent civitatis minime in captivos iam inde antiquitus indulgentis; pecuniae quoque summam esse visam maiorem, nec senatum Hannibalem locupletari velle[8]). Sed in senatu variatum erat sententiis. Nam alii redimendos de publico, alii nullam publice impensam faciendam nec prohibendos ex privato redimi, si quibus argentum in praesentia deesset, dandam ex aerario pecuniam mutuam, praedibusque ac praediis cavendum populo censuerant[9]). De eodem senatus consulto Appianus[10]) haec memoriae prodidit: οἱ μὲν οὐκ ἠξίουν ἐπὶ τοσαῖσδε συμφοραῖς ἄλλους τοσούσδε βλαβῆναι τὴν πόλιν, οὐδὲ δούλους μὲν ἐλευθεροῦν, τοὺς δὲ ἐλευθέρους ὑπερορᾶν, οἱ δ᾽ οὐκ ᾤοντο δεῖν αὐτοὺς ἐθίζειν τῷδε τῷ ἐλέῳ φεύγειν, ἀλλ᾽ ἢ νικᾶν μαχομένους ἢ ἀποθνήσκειν ὡς οὐκ ὂν οὐδ᾽ ὑπὸ τῶν οἰκείων ἐλεεῖσθαι τὸν φυγόντα. πολλῶν δὲ παραδειγμάτων ἐς ἑκάτερα λεχθέντων, οὐκ ἐπέτρεψεν ἡ βουλὴ τοῖς συγγενέσι λύσασθαι

[1]) Cass. Dio. 56, 22, 4. — [2]) Zon. 8, 17. — [3]) Liv. 22, 59; Appian. Hann. 28; Gell. N. A. 6, 18, 2; Valer. Max. 2, 7, 15; Zon. 9, 2. — [4]) cf. Liv. 22, 60, 3; App. Hann. 28; Cass. Dio. 56, 22, 4; Eutrop. 2, 27, 4. — [5]) Liv. 22, 61, 7. — [6]) Liv. 25, 6, 14. — [7]) Liv. 22, 61, 3; App. Hann. 28; Gell. N. A. 6, 18, 2; Liv. per. 22; Plut. Marc. 13, 4; Sil. Ital. 10, 650/53; Polyb. frg. 6, 58, 10—12; Valer. Max. 2, 7, 15; Zon. 9, 2. — [8]) Liv. 22, 61, 3. — [9]) Liv. 22, 60, 4. — [10]) Hann. 28.

τοὺς αἰχμαλώτους, ἡγουμένη, πολλῶν σφίσιν ἔτι κινδύνων ἐπόντων, οὐ συνοίσειν ἐς τὸ μέλλον τὴν ἐν τῷ παρόντι φιλανθρωπίαν, τὸ δ' ἀπάνθρωπον, εἰ καὶ σκυθρωπὸν εἴη, πρός τε τὰ μέλλοντα χρήσιμον ἔσεσθαι καὶ ἐν τῷ παρόντι καταπλήξειν Ἀννίβαν τῷ τολμήματι.

Cicero[1]) eos senatum non censuisse narrat redimendos, *cum id parva pecunia fieri posset, ut esset insitum militibus nostris aut vincere aut emori.*

Eutropius[2]) adnotat: *responsumque est a senatu eos cives non esse necessarios, qui, cum armati essent, capi potuissent.*

Plutarchus: Τοσοῦτο τοῦ φρονήματος καὶ μεγαλοψυχίας περιῆν[3]).

Polybius[4]): τοὺς μὲν Ἀννίβου λογισμοὺς καὶ τὰς ἐν τούτοις ἐλπίδας ἀπέδειξαν κενάς, ἀπειπάμενοι τὴν διαλύτρωσιν τῶν ἀνδρῶν, τοῖς δὲ παρ' αὐτῶν ἐνομοθέτησαν ἢ νικᾶν μαχομένους ἢ θνήσκειν ὡς ἄλλης οὐδεμιᾶς ἐλπίδος ὑπαρχούσης εἰς σωτηρίαν αὐτοῖς ἡττωμένοις.

Valerius Maximus[5]): [senatus] *memor tantam multitudinem armatorum iuvenum si honeste mori voluisset, turpiter capi non potuisse.*

Turpe homini vere Romano visum est ex hostium manibus redimi. Quae sententia elucet quam clarissime ex his Horati verbis[6]):

auro repensus scilicet acrior
miles redibit: flagitio additis
damnum. neque amissos colores
lana refert medicata fuco,
nec vera virtus, cum semel excidit
curat reponi deterioribus.

Silius Italicus hoc mandat versibus:

Cuncta adeo scelera et noxam superaverat omnem
Armatum potuisse capi[7]). Itaque summis laudibus efferri solebat Regulus ille, qui Romam missus ipse redemptionem dicitur dissuasisse.

---

1) off. 3, 114. — 2) 3, 11, 1. — 3) Plut. Marcell. 13, 4. — 4) frg. 6, 58, 11—12. — 5) 2, 7, 15. — 6) carm. 3, 5, 25 squ. — 7) 10, 650/51.

Nimirum quod discrimen factum est inter redemptionem liberorum capitum et servorum[1]).

Item redemptio fieri potuit, si quis in manus piratarum venit[2]).

Haud longe a redemptione abscedit hic usus. Urbs cum vehementissime oppugnaretur ita, ut obsessis omnis spes adimeretur, fieri potuit, ut ditissimi urbis pecunia grandi pacti dimitterentur[3]). Quin etiam Brennum illum cum auro persoluto, ut regrederetur, perducerent Romani, semet ipsos quasi redemerunt[4]): *igitur victi captique ac redempti tantum poenarum dis hominibusque dedimus, ut terrarum orbi documento essemus*[5]).

Quanto pretio singuli captivi sint redempti, inde a bellis Punicis apud scriptores accuratius adnotatur. Variari tamen pretium pro magnitudine numeri redimendorum neglegendum non est et in redemptione ipsa statui posse paulatim pecuniae vim esse deminutam. Pretia autem traduntur haec: Gallis, ut urbem liberarent, Romani dicuntur dedisse: χιλίας λίτρας χρυσίου[6]). Ex hac summa nihil discimus de pretio uniuscuiusque. Perusini (a. 295 a. Chr. n.) redempti sunt singuli *aeris trecentis decem*[7]). Panormitani (a. 254 a. Chr. n.): τῶν δὲ συμφωνούντων δύο μνᾶς τῷ σώματι διδόντας ἐλευθέρους εἶναι, παρέλαβον τὴν πόλιν οἱ Ῥωμαῖοι[8]).

Scipio consul milites adhortatus (a. 218 a. Chr. n.): *experiri,* inquit, *iuvat, utrum alios repente Carthaginienses per viginti annos terra ediderit, an iidem sint, qui ad Aegatis*

---

[1]) Liv. 23, 19, 15/17.

[2]) Appian. Mithr. 96; b. c. 2, 23; de vir. ill. 78, 3; Plut. Caes. 2, 1; Pomp. 24, 4; Suet. Caes. 4.

[3]) Liv. 10, 46, 10.

[4]) Liv. 5, 51, 8; 34, 5, 9; Diod. 14, 116, 7; Oros. 2. 19, 9; Plut. Cam. 28, 5; Zon. 7, 23.

[5]) Liv. 5, 51, 8. — [6]) Zon. 7, 23; Diod. 14, 116, 7. — [7]) Liv. 10, 31, 4. — [8]) Diod. frg. 23, 18, 4/5.

pugnaverunt insulas, et quos ab Eryce duodevicenis denariis aestimatos emisistis[1]). Inter Hannibalem et Fabium (a. 217 a. Chr. n.) in permutandis captivis, *quod sic primo Punico bello factum erat*, convenerat, ut quae pars plures reciperet quam daret *argenti pondo bina et selibras* in militem praestaret[2]). Plutarchus commemorat eiusdem pactionis pretium: ducentas quinquaginta *drachmas*[3]).

Pugna ad Cannas commissa Hannibal redemptionis potestatem fecit: ἐπὶ μικροῖς λύτροις[4]). Quodnam pretium postulavit Hannibal? *In capita Romana trecenis nummis quadrigatis, in socios ducenis, in servos centenis*[5]). Ad id pretium equitibus paulo post aliquantum adiciebat atque Romanis pretium fore nuntiavit in capita equiti *quingenos quadrigatos nummos*[6]). Haud parvi momenti esse puto, quod Hannibal hic pretia pro statu atque ordine unius cuiusque diversa reddidit. Gellius[7]) Hannibalem postulasse tradit, ut Romani pro singulis darent *argenti pondo libram et selibram.*

Casilino capto *septunces auri* in singulos, sed in libera capita, pretium convenit[8]).

Macedonibus (a. 198 a. Chr. n.) *treceni nummi* in capita a Romanis statutum pretium est[9]).

Achaei cum auctore Flaminino (a. 194 a. Chr. n.) eos Romanos restituerent, quos iure belli venditos in servitute habebant, reddiderunt dominis in capita *quingenos denarios*[10]): λυτρωσάμενοι πέντε μνῶν apud Plutarchum scriptum videmus[11]). Apud Graecos omnino maiore videntur stetisse capti.

Neque mirum est, quod pretium valde augebatur, si quis summo loco natus in hostium manus veniebat. Vel

---

[1]) Liv. 21, 41, 6.

[2]) Liv. 22, 23, 6. — [3]) Plut. Fab. Max. 7, 5. — [4]) Plut. Marcell. 13, 4. — [5]) Liv. 22, 52, 3. — [6]) Liv. 22, 58, 4. — [7]) N. A. 6, 18, 2. — [8]) Liv. 23, 19, 15—17. — [9]) Liv. 32, 17, 2. — [10]) Liv. 34, 50, 6. — [11]) Flamin. 13, 5.

Epirotae initio legatos captos singulos *quina talenta* dare iusserunt, remissa pretii parte *terna talenta* a captivis exegerunt. Sed Alexander, unus ex captivis, amplius *uno talento* se daturum esse negavit; id quoque multum esse addidit [1]).

Inprimis piratae praeter ceteros florebant summis pretiis exactis. Ptolemaeus quondam Clodio illi infami a piratis capto in redemptionem *duo tantum talenta* prae avaritia contulerat [2]). Virgines quoque magna pecunia e piratarum manibus sunt redemptae [3]). Caesar ad Pharmacusam insulam a piratis captus, ut solveretur, numeravit *quinquaginta talenta* [4]), quamquam piratae feruntur viginti tantum postulasse [5]).

Quoniam captivi — ut supra [6]) iam demonstravimus — belli iure redigebantur ad servorum statum, sequitur, ut bello captus amiserit et libertatem et civitatem et familiam; deminutus est capite. Omnes Romani, qui in hostium potestatem veniunt, *deminuti* sunt *capite, abalienati iure civium, servi* [7]). Optimum esse puto hoc loco breviter conscribere, quo modo veteres capitis deminutionem sint interpretati, deinde quaerere, cui deminutionis generi inserenda sit captivitas. Festus [8]): *deminutus capite appellabatur, qui civitate mutatus est; et ex alia familia in aliam adoptatus; et qui liber alteri mancipio datus est; et qui in hostium potestatem venit et cui aqua ignique interdictum est. — Capitis deminutionis tria genera sunt, maxima, media, minima: tria enim sunt, quae habemus: libertatem, civitatem, familiam. igitur cum omnia haec amittimus, hoc est libertatem et civitatem et familiam, maximam esse capitis deminutionem . . . constat* [9]). *Maxima est capitis deminutio, cum aliquis simul et civitatem et libertatem amittit. quod accidit in his, qui servi poenae efficiuntur atrocitate sententiae,*

[1]) Polyb. frg. 22, 9, 7—14. — [2]) App. b. c. 2, 23. — [3]) Plut. Pomp. 24, 4. — [4]) Sueton. Caes. 4. — [5]) Plut. Caes. 2, 1. — [6]) cf. p. 93, 94. — [7]) Liv. 22, 60, 15. — [8]) p. 70 M. — [9]) Dig. 4, 5, 11.

vel liberti ut ingrati circa patronos condemnati, vel qui ad pretium participandum se venumdari passi sunt[1]. *Si maxima capitis deminutio incurrat, ius quoque cognationis perit, ut puta servitute alicuius cognati, et ne quidem, si manumissus fuerit, recipit cognationem*[2].

Quibus ex testimoniis apparet bello captum gravissima ignominia esse affectum: deminutione capitis maxima. Ergo iure Regulus ille Romam missus dixit se ex illa die, qua in potestatem Afrorum venisset, Romanum esse desisse. Itaque et uxorem a complexu removit et senatui suasit, ne pax cum Poenis fieret[3]. Sententiam, ne diceret, recusavit; quamdiu iureiurando hostium teneretur, non esse se senatorem. Denique cuius in mentem non veniunt versus illi Horati[4]?

fertur pudicae coniugis osculum
parvosque natos ut capitis minor
ab se removisse et virilem
torvus humi posuisse voltum,
donec labantis consilio patres
firmaret auctor numquam alias dato,
interque maerentis amicos
egregrius properaret exsul.

At, qua iuris condicione fuerint captivi Romani, cum e manibus hostium reverterentur, nunc quaeritur. Quod iam quaesiverunt Romanorum homines iuris consulti: excogitaverunt fictionem quandam, ex qua nata est ius quod vocatur postliminii. Cuius Cicero duas praebet interpretationes[5]. *Multa igitur in disputando notatione eliciuntur ex verbo: ut, cum quaeritur, postliminium, quid sit, non dico, quae sint postliminii (nam id caderet in divisionem, quae talis est: postliminio redeunt haec: homo, navis, mulus, clitellarius, equus, equa, quae frena recipere solet); sed cum ipsius postliminii vis quaeritur, et*

[1]) Inst. 1, 16, 1. — [2]) Inst. 1, 16, 6. — [3]) Eutrop. 2, 25, 1; de vir. ill. 40. — [4]) carm. 3, 5, 41—49. — [5]) topic. 36/37.

verbum ipsum notatur. In quo Servius noster (ut opinor) nihil putat esse notandum nisi post; et liminium illud productionem esse verbi vult, ut in finitimo, legitimo, aeditimo, non plus inesse timum, quam in meditullio tullium. Scaevola autem, P. F., iunctum putat esse verbum, ut sit in eo et post et limen; ut quae a nobis alienata sunt, cum ad hostem pervenerint, et ex suo tanquam limine exierint, dein cum redierint post ad idem limen, postliminio videantur rediisse. Scaevolae interpretatio non solum digna est, quae praeponatur, sed etiam sola videtur recta esse.

Postliminii iure fingebatur numquam eum, qui e captivitate reverteretur, fuisse in captivitate. *Postliminium habet, id est perinde omnia ei restituuntur iura, ac si captus ab hostibus non esset*[1]. *Retro creditur in civitate fuisse, qui ab hostibus advenit*[2]. *Postliminium est ius amissae rei recipiendae ab extraneo et in statum pristinum restituendae inter nos ac liberos populos regesque moribus legibus constitutum. Nam quod bello amisimus aut etiam citra bellum, hoc si rursus recipiamus, dicimur postliminio recipere. Idque naturali aequitate introductum est, ut, qui per iniuriam ab extraneis detinebatur, is, ubi in fines suos redisset, pristinum ius suum reciperet*[3]. Hoc quidem admonere licet postliminium non esse constitutum nisi inter liberos populos et reges. Quo sequitur, ut in dissensionibus civium vel tumultibus servorum, postliminium plane non exstet. *In civilibus dissensionibus quamvis saepe per eas res publica laedatur, non tamen in exitium rei publicae contenditur: qui in alterutras partes discedent, vice hostium non sunt eorum, inter quos iura captivitatium aut postliminiorum fuerint. et ideo captos et venumdatos posteaque manumissos placuit supervacuo repetere a principe ingenuitatem, quam nulla captivitate*

---

[1]) Dig. 49, 15, 5, 1: sec. Pomp. — [2]) Dig. 49, 15, 16; Fest. p. 218 M.; Fest. Paul. p. 219 M. — [3]) Dig. 49, 15, 19 pr.

amiserant[1]). *A piratis aut latronibus capti liberi permanent*[2]). *Qui a latronibus captus est, servus latronum non est, nec postliminium illi necessarium est. Ab hostibus autem captus, ut puta a Germanis et Parthis, et servus est hostium et postliminio statum pristinum recuperat*[3]). Sed *postliminii ius competit aut in bello aut in pace. In bello, cum hi, qui nobis hostes sunt, aliquem ex nostris ceperunt et intra praesidia sua perduxerunt; nam si eodem bello is reversus fuerit, postliminium habet, id est perinde omnia restituuntur ei iura, ac si captus ab hostibus non esset. Antequam iu praesidia perducatur hostium, manet civis: tunc autem reversus intellegitur, si aut ad amicos nostros perveniat aut intra praesidia nostra esse coepit. In pace quoque postliminium datum est: nam si cum gente aliqua neque amicitiam neque hospitium neque foedus amicitiae causa factum habemus, hi hostes quidem non sunt, quod autem ex nostro ad eos pervenit, illorum fit, et liber homo noster ab eis captus servus fit [et] eorum: idemque est, si ab illis ad nos aliquid perveniat: hoc quoque igitur casu postliminium datum est*[4]).

Huic loco par est de postliminio me non disserere, nisi quantum pertinet ad captivos ipsos. Atque primum quidem id admoneo captivum re vera necesse esse in potestatem hostium venisse: *antequam in praesidia perducatur, manet civis*[5]). Accedit, quod is caret iure postliminii, qui se ultro hostibus dedidit aut suos relinquens transfugit. Necessitate belli in captivitatem hostium venisset oportebat. Itaque *transfugae nullum postliminium est; nam qui malo consilio et proditoris animo patriam reliquit, hostium numero habendus est*[6]). *Sed hoc in libero transfuga iuris est, sive femina sive masculus sit. Si vero servus transfugerit ad hostes, quoniam, et cum casu captus est, dominus in eo*

---

[1]) Dig. 49, 15, 21, 1. — [2]) Dig. 49, 15, 19, 2. — [3]) Dig. 49, 15, 24. [4]) Dig. 49, 15, 5, 1/2; cf. Hase p. 26—41. — [5]) Dig. 49, 15, 5, 1. — [6]) Dig. 49, 15, 19, 4.

postliminium habet, rectissime dicitur etiam ei postliminium esse, scilicet ut dominus in eo pristinum ius recipiat, ne contrarium ius non tam ipsi iniuriosum sit, qui servus semper permanet, quam domino damnosum constituatur[1]). Haud secus ac transfugae ii quoque carebant postliminio, *qui armis victi hostibus se dederunt*[2]). Sed oritur quaestio, qua iuris condicione fuerint ii, qui iussu populi Romani hostibus dediti, sed non accepti essent. Qua in re iuris consulti Romanorum inter se non consentiunt. P. Rutilius, tribunus plebis, dicitur Mancinum illum consularem iussisse e senatu educi, quod eum civem negaret esse: *quia memoriae sic esset proditum, quem pater suus aut populus vendidisset aut pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium*[3]). Modestinus docet haec[4]): *qui ab hostibus capiuntur vel hostibus deduntur, iure postliminii reverti antiquitus placuit. an qui hostibus deditus reversus nec a nobis receptus civis Romanus sit, inter Brutum et Scaevolam varie tractatum est: et consequens est, ut civitatem non adipiscatur.* Sed Cicero: *Quid? quem pater patratus dedidit aut suus pater populusve vendidit, quo is iure amittit civitatem? Ut religione civitas solvatur, civis Romanus traditur; qui cum est acceptus, est eorum, quibus est deditus; si non accipiunt, ut Mancinum Numantini, retinet integram causam et ius civitatis*[5]).

Sed ut postliminium esset, captivum revertisse corpore et mente necesse erat. *Nec enim satis est corpore domum quem redisse, si mente alienus est*[6]). *Postliminio redisse videtur, cum in fines nostros intraverit, sicuti amittitur, ubi fines nostros excessit. Sed et si in civitatem sociam amicamve, aut ad regem socium vel amicum venerit, statim postliminio redisse videtur, quia ibi primum nomine publico tutus esse incipiat*[7]). Nihil interest, quomodo captivus

---

[1]) Dig. 49, 15, 19, 5. — [2]) Dig. 49, 15, 17.
[3]) Cic. de orat. 1, 181. — [4]) Dig. 49, 15. 4. — [5]) Cic. pro Caec. 98. — [6]) Dig. 49, 15, 26. — [7]) Dig. 49, 15, 19, 3.

reverterit, utrum dimissus an vi vel fallacia potestatem hostium evaserit[1]). Sed multum referebat, quo tempore captivus *intra praesidia* reverteretur. Nullum nisi eum, qui eodem bello redierit, postliminium habere testatur Pomponius[2]). Sed in animo eum habuisse necesse erat, ut reverteretur in pristinam civitatem. *Captivus autem, si a nobis manumissus fuerit et pervenerit ad suos, ita demum postliminio reversus intellegitur, si malit eos sequi quam in nostra civitate manere et ideo in Atilio Regulo, quem Carthaginienses Romam miserunt, responsum est non esse eum postliminio reversum, quia iuraverat Carthaginem reversurum et non habuerat animum Romae remanendi et ideo in quodam interprete Menandro, qui posteaquam apud nos manumissus erat, missus est ad suos, non est visa necessaria lex, quae lata est de illo, ut maneret civis Romanus: nam sive animus ei fuisset remanendi apud suos, desineret esse civis, sive animus fuisset revertendi, maneret civis, et ideo esset lex supervacua*[3]).

Sed haec quidem hactenus. Longum est explanare, quaenam iura singula restituta sint postliminio, praesertim cum de his libri exstent iuris consultorum[4]).

---

1) Dig. 49, 15, 26. — 2) Dig. 49, 15, 5, 1.

3) Dig. 49, 15, 5, 3; 12, 9: nisi qui hoc animo ad suos venisset, ut eorum res sequeretur...; 26... si ea mente venerit, ut non illo reverteretur.

4) cf. Hase; Bechmann.

Argumentum.

Caput primum.

Caput secundum.

Caput tertium.

Index rerum.

Index nominum.

Vita.

Natus sum Eugenius Koeser a. d. XVI. Kal. Mart. a. MDCCCLXXX Gissae patre Guilelmo matre Anna e gente Haggenmueller. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum rudimentis imbutus gymnasium Gissense frequentavi, quod tunc Hermani Schiller auspiciis florebat, cuius praeceptoris numquam obliviscar. Maturitatis testimonio vere anni XCVIII instructus studiis philologicis et historicis in litterarum universitate Gissensi per bis senos menses incubui, deinde, cum sex menses Berolini commoratus essem, Gissam reversus studia peregi a. h. s. III.

Docuerunt me Gissae: Behaghel, A. Dieterich, Groos, Gundermann, Hoehlbaum, Kinkel, Kornemann, Messer, Oncken, Sauer, Schiller, Siebeck; Berolini: Delbrück, Diels, Helm, Hirschfeld, Lasson, Schmitt, Schmoller, Vahlen, de Wilamowitz.

Proseminarii magistris usus sum Dieterichio, Gundermanno, Dielsio, Wilamowitzio; seminarii exercitationibus Dieterichio et Gundermanno moderantibus interfui per quattuor semestria; per quattuor historici seminarii sodalis fui Onckenii, per duo Hoehlbaumi auspiciis, per duo philosophici Siebeckio et Groosio moderantibus.

His viris omnibus gratias ago maximas, in primis cum Dieterichio et Onckenio, tum Gundermanno, qui me ad hanc disputatiunculam commovit conscribendam semperque benignissime adiuvit consilio.